
6

DE APPELLATIONIBUS AD ROMANUM PONTIFICEM DISSERTATIO CANONICA.





ROMÆ
EX TYPOGRAPHIO GENEROSI SALOMONI
ANNO REPARATÆ SALUTIS MDCCLXVIII.

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sac. Palatii Apostolici.

D. J. Patr. Antioch. Vicesg.

CAnonicam Dissertationem *de Appellationibus ad Romanum Pontificem*, quam mihi Rm̃us Pater Thomas Augustinus Ricchinius Sacri Palatii Apostolici Magister recognoscendam dedit, attente perlegi, in eaque non modo nihil inveni, quod Catholicæ Fidei repugnet, vel a bonis moribus sit alienum, verum etiam summa cum animi mei voluptate Scriptoris doctrinam, eruditionemque suspexi, qui solidis argumentis mira sermonis perspicuitate, atque elegantia propositis a Justini Febronii impugnationibus vindicat Divinum illud jus, quod in Romano Pontifice universa Ecclesia semper agnovit, recipiendi ex omnibus Mundi partibus Appellationes. Quare non modo opusculum prælo dignum censeo, sed vehementer etiam optarem, ut prælaudatus Scriptor eadem sermonis perspicuitate, atque argumentorum vi, ac soliditate in singula Febroniani operis capita Dissertationes elucubraret, quibus Pontificia jura tam acerbe a Febronio impetita tueretur.

Romæ e Vaticana Bibliotheca die 7. Martii 1768.

Stephanus Evodius Assemanus Archiep. Apameæ,
Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus.

LIbrum inscriptum: *De Appellationibus ad Romanum Pontificem Dissertatio Canonica*, jubente Rm̃o P. Fr. Thoma Augustino Ricchinio S. P. A. Magistro, ea, qua par erat diligentia, maximaque animi voluptate perlegi, nihilque in eo deprehendi, quod Orthodoxæ Fidei, bonisque moribus adversetur; quin imo præstantem auctoris doctrinam, lucidum ordinem, ecclesiasticæ eruditionis copiam, arduarum in antiquitate quæstionum solutionem, accuratumque studium in colligendis, expendendisque, quæ ad suam rem pertinent, plane sum demiratus. Profert enim de sacrorum fontium thesauro, solideque explicat præcipua, tutissimaque monumenta, quibus contra Justinum Febronium satis, superque evincat Romano Pontifici, qui divina institutione ex primatus prærogativa supremus est in universali ecclesia judex, *Jus appellationum* ex omnibus Mundi partibus recipiendarum manifestissime competere, earumque usum vere ex Apostolica traditione, ac doctrina, communique, ac perpetua totius Ecclesiæ persuasione derivatum, non ex Isidoriana Decretalium collectione promanasse, neque a Sardicensi Synodo, quasi quid antea insuetum, introductum, aut meræ revisionis, non veræ appellationis auctoritatem Romanæ Sedi tributam, quin potius idem jus per ejus Canones declaratum, assertum, certisque legibus adversus hæreticorum pervicaciam, furoremque communitum fuisse. Quamobrem dignissimum existimo, qui in manus hominum emittatur, utpote catholicæ de Appellationibus sententiæ firmandæ, conservandæque valde accommodum, & hac ætate opportunum. Optamus Febronium hac de re cum piissimis Regibus Carolo Magno, ac Ludovico Pio ita sentire: *Ut omnes Episcopi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur, vel criminantur caussis, quoties necesse fuerit, libere Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam, quasi ad matrem confugiant, ut ab*

ea, sicut semper fuit, pie fulciantur, defendantur, & liberentur, cujus dispositioni omnes majores ecclesiasticas caussas, & Episcoporum judicia, antiqua Apostolorum, eorumque Successorum, atque Canonum auctoritas reservavit. Quoniam culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quam ejusdem Sedis Papæ fieri placuerit; Canonibus quippe jubentibus in talibus absque Romano nihil decerni Pontifice, nec ad Synodum Episcopum convocari debere, & quicquid ex his, eo inconsulto, præsumptum fuerit, viribus carere. Capit. Caroli M., & Lud. Pii Tom. 1. col. 1199. edit. Baluz.

Romæ ex ædibus S. Callisti die 10. Martii 1768.

D. Petrus Aloysius Galletti Congreg. Casinensis, Abbas SS. Salvatoris, & Cyrini de insula, in Vaticana Bibliotheca Linguæ Latinæ Professor.

IN Opusculo plane aureo, inscripto: *De Appellationibus ad Romanum Pontificem Dissertatio Canonica*, habent tum Heterodoxi Osores, cum Ortodoxi Censores, unde larvam detrahant iniquissimæ doctrinæ, quam de statu Ecclesiæ damnatus Auctor sub nomine *Justini Febronii* abortivam enixus est. Commiserandus homo se se diabolo Amanuensem mancipavit, ut imbecilliores Fidelium animas scriptis venenaret; sed plures jam clarissimi Viri lupum rapacem pelle Agni decoriarunt, & inter Eos nemini secundum censeo doctissimum Auctorem præscripti hujus Opusculi, quod Ego jussus a Rmo P. Thoma Augustino Recchini Sacri Palatii Apostolici Magistro perlegi, ac in eo omnia nedum Catholicæ Religioni, verisque Sacrorum Canonum Regulis consentanea esse, sed tanta insuper claritate, eruditione, ac robore firmiter constituta cognovi, ut collatis invicem momentis peregregiæ hujus Dissertationis cum versutiis damnati Auctoris, neminem amplius futurum fore puto, qui fateri non cogatur, divinum, ac immutabile Jus Appellationum Summo Romano Pontifici quantum invictis Argumentis adscribi, tantumdem ineptissimis fallaciis impugnari. Prodeat igitur publicis, quibus eam dignissimam judico, Typis Dissertatio, qua fideles veritatis Amatores lætentur, & Filii tenebrarum de passa clade erubescant.

Romæ hac die 28. Martii 1768.

Philippus Durani Sac. Consistorii, Fisci, & R.C.A. Advocatus.

QUum, ita jubente Rmo. P. Thoma Augustino Ricchinio Sacri Palatii Apostolici Magistro, diligenter perlegerim Dissertationem Canonicam inscriptam: *De Appellationibus ad Romanum Pontificem*: nihil plane in ea potui deprehendere, quod sit a bonis moribus, aut Fidei præceptis alienum; quin imo maxime sum admiratus eximiam cum eruditionem, tum elegantiam, qua Scriptor egregius non modo argumentum præstantissimum exequitur, sed etiam viriliter refellit Justinum Febronium, qui in suo pernicioso, ac turbulento opere Romanas quoque appellationes Divino jure constitutas, & ab universa Ecclesia jugiter veneratas, deterrimis fallaciis subvertere ausus est. Quantum igitur in me est dignum, censeo, ut perutilis dissertatio quam primum publici juris fiat.

Romæ ex ædibus meis VIII. Kal. Aprilis 1768.

Franciscus Pallius Sacri Consistorii Advocatus.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magister.

DE

DE APPELLATIONIBUS AD ROMANUM PONTIFICEM

DISSERTATIO CANONICA

PROEMIUM.



Mnem ſemper Eterodoxi moverunt lapidem, ut quem non dignitatis modo, ac præeminentiæ, ſed poteſtatis etiam, ac jurisdictionis primatum Principi Apoſtolorum Petro, ejuſque Succeſſoribus Chriſtus contulit, eum, ſi fieri poteſt, concuterent, ac labefactarent. Verum incaſſum hactenus cecidere, irritique deinceps cadent conatus omnes, ac fraudes hominum ejuſmodi audaciſſimorum. Scriptum eſt enim: *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam*. Cum tamen hi teterrimi Romanæ Sedis hoſtes ab audacibus cœptis numquam abſiſtant, & in aciem identidem redeant, ac pugnam inſtaurent; imo (quod eſt longe deterius, ac dolendum magis) Catholicos aliquos, liberioris ingenii viros, Criticæque intemperantioris ſtudioſos magnifico eruditionis, & argumentorum apparatu decipiant, incautoſque ad ſua caſtra traducant; Catholicæ Religionis amor poſtulat, ut quotquot dimicare in hoc prælio poſſunt, in aciem prodeant, & pro ſuis quiſque viribus Supremam Romani Pontificis Poteſtatem tueantur: unde fiat, ut obſtruatur Hæreticorum os loquentium mendacium, & iniquitatem, captivata vero Catholicorum ſimplicitas in priſtinam libertatem vindicetur. Non defuere ſane, nec umquam deerunt Orthodoxi Scriptores, ſana doctrina, omnigenaque eruditione ſpectabiles, qui, editis in lucem libris, bellum Domini fortiter præliantes, Pontificiam dignitatem, poteſtatemque ab omni hoſtili incurſione defendant. Opus vere aureum *de vi, ac ratione Primatus Romanorum Pontificum* nuperrime edidit Clariſſimus Vir Petrus Ballerinius, pluribus jamdudum editis doctiſſimis libris in univerſa litteraria Republica celeberrimus. Alios alii eadem de re & olim, & noſtra hac etiam ætate ſcripſerunt libros, quorum doctrinam, laudeſque nulla umquam ætas conficeſcet. Verum cum novi quotidie hoſtes adverſus Apoſtolicæ Sedis Auctoritatem inſurgant, ac novos eidem ictus inferre moliantur; Cur non ejus cauſam novi etiam

etiam Scriptores pro modulo suo propugnandam suscipiant? Ego quidem, etsi cum aliis neque ingenio, neque scientia, neque nominis celebritate sim ulla ratione comparandus; cum tamen a nemine in sincero erga Romanam Ecclesiam amore, reverentiaque vinci me patiar; aliquid scribere constitui, ita tamen, ut si minus politum, perfectumque fuerit, id omnes intelligant, non observantiæ, atque obsequii, sed virium mearum tenuitati esse tribuendum. Ne vero actum agere videar, non de Primatu ipso Romanorum Pontificum agam (satis enim, abundeque de eo differuit Clarissimus Ballerinius in laudato opere consulendus) sed de quibusdam juribus disceptabo, quæ cum ab omni hominum memoria Romani Pontifices exercuerint; neque tam constanter, nisi vi Supremæ Jurisdictionis, ac Potestatis, quam iisdem in universam Ecclesiam Christus contulit, potuerint exercere; eorum usus constantissimus satis efficax pro Romani Pontificis Primatu suppeditat argumentum, perpetuam videlicet Ecclesiæ praxim, quæ facto ipso supremam in Christi Vicario Auctoritatem, & Jurisdictionem constanter agnovit, ac professa est. Unum duntaxat ex his Juribus hac dissertatione complectar; Jus videlicet recipiendarum ex omnibus Christiani Orbis partibus appellationum, quod paucis propugnabo, de reliquis opportuniore tempore disceptaturus.

Controversiæ Status, & Partitio Dissertationis exponitur.

CUm nonnisi ab inferiori Judice ad superiorem provocetur, ut hujus auctoritate prior sententia, si a rectitudine defecerit, corrigatur; ea est Supremæ Potestatis, ac Jurisdictionis vis, ut ad eum, penes quem illa sit, omnibus; ab eo autem nemini liceat appellare. Fatentur id omnes, qui principia Juris Naturalis intelligant, neque rectæ rationi velint adversari. Quamobrem Calvinus ipse lib. 4. suarum Institutionum cap. 7. §. 9. inquit: *Summum Imperium penes eum esse constat, ad cujus tribunal provocatur.* Cum id probe norint Eterodoxi, qui Romano Pontifici supremæ in universam Ecclesiam jurisdictionis, ac potestatis Primatum mordicus negant; ne invicem pugnantia loqui videantur; contra unanimem Catholicorum doctrinam, & praxim negant, jus esse Romano Pontifici, ut ad eum ex qualibet Christiani Orbis parte appellari legitime possit; contra vero affirmant, licere cuilibet ab ejusdem sententia ad futurum saltem provocare Concilium. Ut autem argumentum elidant, quod Catholici Doctores opponunt, a perpetuo Ecclesiæ usu desumptum, in diversas abeunt

sen-

ſententias. Aliqui eum non uſum, ſed abuſum eſſe dicunt, ex nimia Eccleſiæ erga Romanos Pontifices conniventia, ex temporali eorumdem poteſtate, ex falſis denique Decretalibus ab Iſidoro Mercatore confictis exortum. Alii ejuſmodi uſus originem non a poteſtatis, ac Juriſdictionis Primatu repetendam eſſe dictitant, ſed a mera Concilii Sardicenſis conceſſione, qua illius Concilii Patres S. Petri Apoſtolorum Principis memoriam honorari voluerunt. Ita moderatiores Eterodoxi, quorum tamen aliqui contenderunt, non veræ appellationis Jus Romano Pontifici a Sardicenſibus Patribus fuiſſe conceſſum, ſed merum Jus retractandi, reformandi, ac revidendi cauſas ab alio Judice cognitas, ac definitas. Unius, aut alterius verba in medium proferamus.

Calvinus lib.4. Inſtitut. cap.7. §.9. inquit: *Multi ſæpe Romanum Pontificem appellarunt: ipſe quoque cauſarum cognitionem ad ſe trahere conatus eſt. Sed ſemper fuit deriſus, quoties ſuos fines exceſſit*. Boehmerus in Jure Eccleſiaſtico Proteſtantium to.1. lib.1. tit. 29. de offic., & Poteſt. Judic. deleg. §. 4. ſic habet: *Promotæ admodum ſunt appellationes ad Sedem Apoſtolicam per adulterinarum Decretalium collectionem Pſeudo-Iſidori, quæ hanc appellandi facultatem per ſuppoſititiarum Decretalium auctoritatem admodum munivit, & ſtabilivit; unde imperite Gratianus pleraque hauſit. Ob hanc cauſam non potuit non Nicolaus I. hanc collectionem magni facere, & ejus auctoritatem adeo commendare, animiſque imperitorum inſinuare, ut Regino, Burchardus, Ivo, & ipſe Gratianus ſuas collectiones hiſce quiſquiliis exornarent, & doctrinam de appellationibus ad Sedem Romanam eo ipſo ſtabilirent. Cum vero hæc appellandi licentia hoc modo firmata multum faceret ad Pontificiam auctoritatem corroborandam; & præterea hi animadverterent, homines ad appellationem admodum proclives eſſe; appellandi pruritus variis artibus ſub ſpecie defenſionis latiſſime extenſus eſt*. Et tit.28. lib.2. §.1. inquit: *In doctrina de appellationibus Jus Canonicum a Jure Civili in plurimis receſſit ſub imaginaria æquitatis ratione, quod appellatio ſit favorabilis, defenſionis ſpeciem continens. Jam ſupra obſervavi, prætextum hunc olim fuiſſe, non veram rationem: pertinuiſſe hoc quoque doctrinæ caput ad arcanas rationes Aulæ Romanæ, ut facultate appellandi dilatata, eo copioſior ad Aulam Romanam eſſet recurſus, & Pontificis Romani juriſdictio in univerſum terrarum Orbem eo ipſo ſtabiliretur. Olim enim appellationes a ſententiis Epiſcoporum, & Synodorum incognitas fuiſſe, ex antiquitate Eccleſiaſtica conſtat. Fraudibus variis uſi ſunt Pontifices, ut appellationes ad ſe traherent, partim Concilii Sardicenſis auctoritate, quod tamen ne appellandi quidem poteſtatem ad Sedem Romanam indulget, & per plura temporum ſpatia ne in Occidente quidem vigorem habuit;*

buit, partim ope collectionis Pseudo-Isidori, cujus merces adulternæ hisce appellationibus favent.

Hanc doctrinam novissime propugnavit Justinus Febronius in libro edito anno 1763., cui titulus: *De statu Ecclesiæ, & legitima potestate Romani Pontificis*. Hunc se scripsisse profitetur *ad reuniendos dissidentes in Religione Christianos*. Verius dixisset, *ad evertendum, si fieri posset, Romani Pontificis Primatum jurisdictionis, ac potestatis*: in id enim nervos omnes eloquentiæ, ac eruditionis intendit. Febronius itaque in citato suo opere cap. 5. de legibus, & appellationibus §. 5., cujus hic est titulus: *Romano Pontifici ex natura, & jure Primatus non competit Jus appellationum ex omnibus totius Ecclesiæ partibus*; sic habet: *Qui Summo Pontifici originariam, & propriam jurisdictionem, verumque imperium in omnes Ecclesiæ Provincias, & singulos Fideles tribuunt, ii magnum suæ sententiæ pondus collocant in jure appellationis eidem ex omnibus Christiani Orbis partibus competente. Facit id præ primis Benedictus XIV. gloriosæ memoriæ in suo Tractatu de Synod. Diœces. lib. 4. cap. 5. num. 1., ubi sic ait: Est ejusmodi appellationum Jus adeo necessario connexum cum Romani Pontificis in universam Ecclesiam jurisdictionis Primatu, ut nemo possit illud in controversiam adducere, nisi & hunc velit perfracte inficiari. Etenim cum Primatus prærogativa Romanus Pontifex sit supremus in Ecclesia Judex, cuique datur per appellationem ipsius implorare tuitionem: ab inferioris quippe sententia superioris tribunal adire omnibus concessum esse, ipsa naturalis æquitas dictat, & persuadet. At vereor, ne doctissimus Pontifex suam sententiam potius ex præconceptu Monarchico deprompserit, quam ex antiquis, verisque monumentis Ecclesiarum*. Paulo vero post subdit: *Quia assertum hoc Jus appellationum ab omnibus Mundi partibus recipiendarum præcipuum suum fundamentum trahit a Sardicensi Synodo, convenit ejus dispositionem, & mentem hic curatius scrutari: quo facto apparebit, adjectitium esse privilegium, a memorata Synodo primo Episcopo tributum, originarie, & ex natura Primatus Apostolici eidem non competens, sed ne indolem quidem genuinæ appellationis habens; proinde prætensum illum Primatum jurisdictionis proprie dictæ destruens potius, quam sustinens*. Post pauca sic statuit: *Ex curata Canonum, quibus hæc stabiliuntur, ponderatione binæ hæ propositiones, & veritates pullulant. 1. novum quid, & ante insuetum hic introduci. 2. non concedi simpliciter provocationem ad Romanum Pontificem, nec potestatem ei fieri definitive judicandi de causa Episcopi in Provincia damnati, sed tantum quamdam decernendæ revisionis auctoritatem ipsi tribui.*

Ut hanc Febronii sententiam ordinatius refellamus, illam ad summa capita ipsissimis Auctoris verbis revocabimus. Ea autem hæc sunt. 1. *Romano*

mano Pontifici ex natura, & Jure Primatus non competit Jus appellationum ex omnibus totius Ecclesiæ partibus. 2. *Jus hoc appellationum est adjectitium privilegium, quod primo tribuit Romano Pontifici Sardicensis Synodus, quæ proinde suis Canonibus novum quid, & antea insuetum introduxit.* 3. *Sardicense Concilium Romano Pontifici non verarum appellationum Jus, sed tantum quamdam decernendæ revisionis auctoritatem tribuit.* Tria hæc singillatim discutiamus.

PARS I.

CAPUT UNICUM

An Romano Pontifici ex natura, & Jure Primatus competat Jus appellationum ex omnibus totius Ecclesiæ partibus recipiendarum?

SUmma Potestas, quæ in Supremis residet Principibus, (ut ait Cl. P. Schmier in Jurisprudentia publ. Univers. lib. 2. cap. 1. sect. 1. §. 2.) nihil est aliud, quam *moralis facultas, ab omni Superiore independens, gubernandi Civitatem, sive* (quod idem est) *ad communem, publicamque salutem actiones Civium dirigendi*. Ut enim docet S. Thomas de regim. Princip. cap. 11., *Regnum non est propter Regem, sed Rex propter Regnum, quia ad hoc Deus providit de Regibus, ut Regnum regant, atque gubernent, & unumquemque in suo jure conservent. Et hic est finis regiminis, hic finis Regis est, ut regimen prosperetur, & homines conserventur per Regem*. Summæ Potestatis auctoritas vix alibi, teste eodem P. Schmier lib. 3. cap. 4., majori cum energia dignoscitur, quam in Tribunalibus, in quibus jus dicitur, administratur justitia, & exercetur Imperium. Ex quo enim in civilem homines societatem coaluere, fieri non potuit, quin ex inordinata quadam seu habendi, seu dominandi, qua fere omnes laborabant, cupiditate frequenter inter eos lites, ac dissidia suborirentur. Quamobrem actum de communi tranquillitate, justitiaque fuisset, nisi Potestas publica, quæ nolentes, & contumaces ad æquum, & rectum compellere posset, exorta inter Subditos litigia sibi dirimenda sumpsisset, cum nulla prudens esset spes futurum, ut vel omnia, vel pleraque dissidia litigantes ipsi amicabili compositione transigerent. Merito autem Summæ in Republica Potestati hæc juris dicendi adscripta fuit facultas, ut ea videlicet, quæ leges ferebat, secundum leges judicaret, neque de rebus solum communibus, sed de privatis etiam, quæ ad justitiæ normam compositæ ad publicam felicitatem plurimum conducunt, sententiam ferret, ac deliberaret. Hinc inter admini-

ministrandæ Reipublicæ partes enumeravit judicia Aristoteles lib. 4. Politic. cap. 4., Summique inter Imperii signa summam judiciorum potestatem recensuit Thucidides.

Verum cum summa Potestas non omnes posset, etiamsi vellet, insurgentes Subditorum suorum lites ipsa per se judicio suo definire, Supremique Principes soli regendis Populis sufficere nequaquam possent; certos Magistratus, ac Judices selegerunt, qui juri dicendo, administrandæque justitiæ summa cura, vigilantiaque præessent. Ut autem Magistratus inter, ac subditos debitus servaretur ordo; sapientissime statuerunt, ut Magistratibus subditi reverenter obtemperarent; Magistratus vero nonnisi honesta subditis præciperent, rectamque ferrent in judicando sententiam. Nequis autem seu Magistratus, seu subditus ab æquissimo hoc instituto desciscerct; quemadmodum opportuna invexere remedia, quibus subditorum contumacia coerceretur, si Magistratibus obedire renuerent; ita etiam aliqua excogitarunt, quibus Magistratuum seu inscitia, seu perversitas, si forte iniquum pronunciarent judicium, corrigeretur. Inter ea, quæ adversus Judicis sententiam excogitarunt, remedia appellatio potissimum recensetur, quæ nihil est aliud, quam *a minore Judice ad Superiorem provocatio*, ut illam scite definiunt S. Julius I. relatus in can. placuit. caus. 2. qu. 6., & Ulpianus L. 1. ff. de appellationibus.

Appellatio interponenda gradatim est, ab inferiore videlicet Judice ad Superiorem, ab hoc ad alium adhuc Superiorem, & sic deinceps, donec ad supremum deveniatur, a quo appellare nemini licet, cum is Superiorem non habeat, cujus potestati, imperioque sit obnoxius. *Stultum est*, ut exprefse dicitur in L. 1. ff. a quibus appellare non licet; *illud admonere, a Principe appellare fas non esse, cum ipse sit, qui provocatur*. Non tamen ita appellare gradatim coguntur subditi, ut iis numquam liceat ab inferiori Judice, intermediis prætermissis, ad supremum provocare: imo vero semper id licet, nisi vel aliqua Supremi Principis lege, vel peculiari ejusdem rescripto expresse interdicatur. Non enim Supremi Principes, cum ad Jus dicendum Magistratus elegerunt, summam illam, quam in Subditos jure Principatus habebant, a se potestatem abdicarunt. Cum igitur appellatio sit quædam defensionis species, qua suum quisque jus tuetur; naturalis autem æquitas, ac ratio dictet, juris sui defensionem nemini esse denegandam; Inde patet, fas esse cuique ad Superiorem, ac potissimum ad Supremum Judicem provocare, iis dumtaxat exceptis casibus, quos superius memoravimus. Quod quidem ita verum esse contendunt Schmier, Grotius, alii-

aliique Juris Publici Scriptores, ut, quamquam privilegio, aut præscriptione acquirere Magistratus inferiores possint, ne ab eorum Sententiis appelletur; id tamen haud aliter intelligendum sit, quam ut aliqua semper ab iis ad Summum Principem provocatio, per supplicationem saltem, aliumve modum, supersit. Nam componi hæc duo nequeunt, ut quis subditus sit, & tamen provocari ab ejus sententia non valeat. Si enim subditus est, Superiorem jam habet, ad quem provocari potest, cum ab ejus unius sententia provocari nequeat, qui Superiorem non habet, ad quem provocetur. Hinc præcipuum apud Romanos Regiæ Potestatis signum erat extremæ provocationis reservatio. Audiatur Heineccius de Jure Naturæ, & Gentium lib.2. cap.8. §.157. *Quamvis vitio verti non possit Principi, si judicandi potestatem Viris prudentibus, juriumque peritis demandet, adeoque ubique Magistratus, & Judices constituat; semper tamen ad imperantem iis patere oportet viam, qui se se injusta sententia oppressos conqueruntur, adeoque penes illum esse debet suprema dubiarum causarum analysis. Hinc in Rebus publicis Monarchicis ad Reges, & Principes; in Aristocraticis ad Senatum Optimatium; in Democraticis ad ipsum populum provocandi jus est, nec temere constituendus est Magistratus sine provocatione*. Hæc omnia tam certa sunt, ut de eorum veritate nemo sanæ mentis possit ambigere.

Nunc ad rem nostram veniamus. Christus Dominus reversurus ad Patrem, ne visibili Capite Ecclesia sua destitueretur, eam Apostolo Petro regendam dedit, quem sui Vicarium constituit verbis illis apud Joannem cap.21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas*. Ex quibus verbis, aliisque Scripturæ, Conciliorum, Patrum, Romanorumque Pontificum testimoniis Primatum in universam Ecclesiam S. Petro, ejusque Successoribus Romanis Pontificibus concessum a Christo fuisse Catholici docent cum S. Cyrillo Alexandrino apud S. Thomam lib. contra Græcos; ubi sic ait: *Sicut Christus accepit a Patre Ducatum, & Sceptrum Ecclesiæ Gentium Dux ex Israel egrediens super omnem Principatum, & Potestatem, & super omne quodcumque, ut ei genua cuncta curventur; Sic Petro, & ejus Successoribus Christus plenissimam concessit potestatem, & nulli alii, quam Petro, quod summum est, & plenum, sed ipsi soli dedit*. S. Cyrillo consonat S. Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus relatus in expos. Concil. Flor. tit. 5. cap. 2., ubi sic habet: *Christus in terris erat Dominus, Pater, & Pastor. Sic cum decrevisset ad paternum thronum ascendere, Petrum Præfectum ipsis constituit, & Magistrum, & uno verbo dicam, Vicarium suum*.

Verum nequa oriatur æquivocatio, advertendum est, Primatum

alium esse ordinis, alium jurisdictionis. Primatus ordinis ille est, quo quis insignitus, præter præcipuum honoris locum, ad aliqua etiam, meri tamen ordinis propria, jus habet. Sic in Republica, in qua penes Patres omnes residet jurisdictio, uni deferri solet primatus ordinis, ex quo is non modo primus in digniore sedet loco, primus nominatur, primus sententiam dicit &c., quæ quidem ad merum honorem pertinent; verum etiam pro jure suo Senatum indicit, refert de negotiis, sententias rogat, consilium dat, monet, hortatur &c., quæ vera, & propria, sed meri etiam ordinis jura sunt, nec meri ordinis primatum excedunt. Primatus jurisdictionis ille est, quo si quis præditus sit, in totam Communitatem, singulaque ejus membra jurisdictionem, ac potestatem, adeoque vim etiam coactivam exercet, cujusmodi primatu in suo Regno Monarcha potitur.

Utrumque tum ordinis, tum jurisdictionis Primatum Catholica Ecclesia in Summo Pontifice ita semper agnovit, & professa est, ut ii etiam Doctores, qui Romanæ Sedis Antistiti non admodum favent, adeoque ab omni assentationis suspicione hac in parte sunt alieni, Catholicum neminem huic doctrinæ refragari aperte fateantur. Ludovicus Maimburgus in tractatu Gallice inscripto: *De l' etablissement, & des prerogatives de l'Eglise de Rome, & des ses Evêques* cap. 4., sic latine redditus, inquit: *Id solum dicam, de quo Catholicorum omnium est concors sententia, Jesum Christum ex omnibus Apostolis S. Petrum elegisse, cui non solum primatum ordinis, honoris, & gradus conferret, primum locum illi concedendo tamquam primo inter æquales dignitate, donis, facultatibus, & gratiis Apostolatui, & Episcopatui inseparabiliter adnexis, sed etiam primatum jurisdictionis, potestatis, & auctoritatis in omnes Fideles in tota Ecclesia, cujus eum ipse constituit caput*. Paulo vero post idem Auctor docet, ea omnia, quæ S. Petro uti Primati conveniunt, ejus quoque Successoribus Romanis Pontificibus convenire. Claudius Fleury suo Catechismo Historico to. 2. par. 1. lect. 46. hanc inseruit doctrinam: *Episcopus Romanus, quem hodie appellamus Papam, semper habitus est omnium Episcoporum primus, cum habeat supra alios primatum jurisdictionis jure divino, sitque visibile Caput Ecclesiæ, & Vicarius Jesu Christi, qui est Caput principale, & invisibile*.

Eumdem tum ordinis, tum jurisdictionis primatum in Romano Pontifice constanter agnoverunt, ac docuerunt Facultas Parisiensis, & Clerus Gallicanus. Aliqua utriusque testimonia in medium proferamus. Facultas itaque Parisiensis anno 1542. in sua contra Lutherum censura hunc statuit articulum, qui est 24.: *Non minus certum est, unum esse jure divi-*

divino Summum in Ecclesia Christi militante Pontificem, cui omnes Christiani parere teneantur. Anno 1607. hanc Marci Antonii de Dominis propositionem, *Supremus Ecclesiæ Romanæ Primatus, ipsiusque super cæteras omnes Christi Ecclesias imperium revera nullis solidis nititur fundamentis*, hac notavit censura: *Hæc propositio falsa est, & viam ad hæreses, & Schismata sternens*; & huic alteri ejusdem propositioni: *Erat ergo, & est Ecclesia Romana præcipua nobilitate, existimatione, nomine, & dignitatis auctoritate, non regiminis, & jurisdictionis principatu*, hanc inussit notam: *Hæc propositio est hæretica, & Schismatica, quatenus aperte insinuat, Romanam Ecclesiam jure divino auctoritatem in alias Ecclesias non habere*. Anno 1683. in præfatione ad Censuram cujusdam propositionis, in qua de Romano Pontifice agebatur, his verbis mentem aperuit suam: *Cum in ipsa propositione de Romano Pontifice sit sermo, cujus jura non modo illæsa esse ubique voluit Facultas, sed & quaque occasione data religiose venerata est, exposuit copiose, strenue defendit; Antiquæ suæ in Sedem Apostolicam reverentiæ esse duxit hic brevi de ea præfari, diserteque repetere, quod olim non semel professa est, Romanum Episcopum esse jure divino summum in Ecclesia Pontificem, cui omnes Christiani parere teneantur, & qui immediate a Christo non honoris solum, sed potestatis, ac jurisdictionis Primatum habeat in tota Ecclesia*. Clerus Gallicanus in Conventu Parisiis habito mensibus Martio, ac Majo ann. 1681. sic habet: *Obtinet Romanus Pontifex in nos primatum auctoritatis, & jurisdictionis sibi a Christo Jesu in Persona S. Petri collatum. Qui ab hac veritate dissentiret, Schismaticus, imo & hæreticus esset*; Et in Comitiis ann. 1682. in Epist. ad Ecclesiæ Gallicanæ Præsules: *Pontificium jurisdictionis primatum divinitus institutum ab Evangelio discimus, & tota docet Ecclesiastica traditio*. In Comitiis Generalibus habitis Parisiis 8. Maii 1728. in litteris ad Christianissimum Regem sic habetur: *Primatus, quem nos in Papa recognoscimus, non restringitur intra simplicem honoris prærogativam*; adductisque aliquot veterum Patrum testimoniis sic concluditur: *Necesse est igitur secundum Catholicam Fidem recognoscere in Summo Pontifice primatum honoris simul, & jurisdictionis, uti agnitus fuit primis quoque Ecclesiæ temporibus*.

A primis ergo Ecclesiæ temporibus ad nostram usque ætatem secundum Catholicam Fidem Romano Pontifici Primatum ordinis, ac jurisdictionis jure divino competere Catholici unanimiter senserunt, ac docuerunt. Non ita tamen Eterodoxi, quorum impudentiores Primatum omnem Romano Pontifici negant; moderatiores vero Primatum ordinis, ac dignitatis tribuunt, non jurisdictionis, ac potestatis, ac totam, qua is frui-

fruitur, auctoritatem non a divino, ſed ab Eccleſiaſtico jure eſſe repetendam affirmant. Lutherus in epiſt. ad Emſerum ſic ſcribit: *Volo & ego, Romanum Pontificem eſſe primum omnium: Sed eſſe Romanum Pontificem jure divino Superiorem, nulla ratione credam.* Salmaſius in præfatione Operis de Primatu Papæ aperte fatetur, *Reformatos primatum tantum ordinis in Papa agnoſcere*; id autem unum eos indignari ait, *quod Papæ poteſtas, non primas in ordine partes, aut Sedes tenere contenta, ſuprema omnium, qui in aliqua ſunt poteſtate, aut dignitate, haberi vult.* Blondellus Calviniſta in opere de Primatu in Eccleſia pag. 24. affirmat: *Proteſtantes neque Apoſtolicæ Cathedræ dignitatem umquam veteri Romæ denegaſſe, neque Primatum, quem habet in vicinas Eccleſias, imo etiam quem aliqua ratione obtinet in univerſam, ita tamen, ut Eccleſiaſtico Juri dumtaxat id tribuant, quod Pontifices divino Jure ad ſe pertinere contendunt.* Ad hanc Eterodoxorum ſententiam acceſſit Febronius in citato ſuo Opere cap. 2. de Primatu, ejuſque juribus, & cap. 3. de incrementis jurium Primatus. Pauca ex his capitibus depromamus.

Febronius igitur cap. 2. §. 4. num. 1. ſic Primatum S. Petri deſcribit: *Nulli Apoſtolorum in particulari erat poteſtas, ſeu Juriſdictio proprie dicta in alium, ſed ſinguli ſubjiciebantur Collegio, hujuſque deciſionibus, & mandatis. Qualis in Senatu eſt Præſes, talis propemodum in Collegio Apoſtolorum Petrus. Ille Senatorum ſententias rogat, non cogit: uno ſuo arbitrio nihil decidit: reliquorum actibus intendit, eos commonefacit, arguit etiam, ſed non deſtituit. Caput ipſorum eſt, ac Major, non in ſtricta ſignificatione Superior, minus Dominus, quam qualitatem quidam imperite tribuunt Petro ex mala intellecta denominatione Principis Apoſtolorum. Caput, inquam, erat Petrus: Inde deferebatur ei primarius honor, ejus ſententiæ multum tribuebatur, nulla cauſa majoris momenti ſine ejus participatione definiebatur, maxime ſi univerſum Corpus Eccleſiæ reſpiceret, Ipſe in Conventibus proponebat materiam, de qua deliberandum erat; ipſe, cum id opportunum eſſet, levabat vocem ſuam, & omnium loco, ac nomine loquebatur.* Quæ hactenus Febronius recenſuit, merum ordinis, honoris, ac dignitatis primatum non excedunt, uti patet ex ſuperius dictis, & uti Febronius ipſe fatetur, cum ſtatim ſubdat: *Verum inter hos nudi directorii fines jura Primatus non ſubſiſtunt. Exigit amplius aliquid conſervatio unitatis in Eccleſia non ſemper in Conciliis congregata, quam pro fundamento, & principio Primatus ponimus.* At videamus, quænam alia jura recenſeat, quæ neque ſint meri ordinis, neque nudi directorii, ac propria ſint Romani Pontificis, ut Primatum in univerſa Eccleſia obtinentis.

Sic

Sic itaque subdit: „ Qui ad genuinum sensum Sacræ Scripturæ, Tra-
„ ditionis, ac disciplinæ primorum Sæculorum sapiunt; illi, quamquam
„ sciant, claves a Christo toti Ecclesiæ collectim sumptæ datas esse, itaut
„ harum jus juxta ejusdem Ecclesiæ beneplacitum, & destinationem per
„ Prælatos, & Antistites exerceatur; norunt nihilominus, quod, cum
„ Romanus Pontifex inter hos sit primus, supremo ejus muneri adnexa
„ esse debeat sollicitudo, ut per universum Orbem serventur Canones,
„ ut Fides illibata custodiatur, ut iidem ritus substantiales in ministran-
„ dis Sacramentis adhibeantur, ut denique unam omnes, eamque sanam
„ doctrinam moralem profiteantur. Quisquis enim primus est in aliqua
„ societate, is lege naturali tenetur invigilare, ut leges societatis ser-
„ ventur. Cum vero qui id procurare tenetur, necessaria auctoritate in-
„ structus esse debeat refragantes ad id compellendi mediis systemati con-
„ venientibus, & per Canones eum in finem statutis; hinc minime du-
„ bitandum, quin talis auctoritas Romano Pontifici qua Primati univer-
„ sali competat „. Verba hæc paulo attentius introspiciamus.

Primo igitur supponit hic Febronius, claves Regni Cœlorum a Christo fuisse traditas immediate, non Petro, ejusque Successoribus Romanis Pontificibus, sed toti Ecclesiæ collectim sumptæ, earumque jus ad Ecclesiæ beneplacitum, ac destinationem per Prælatos, & Antistites, ac per Romanum Pontificem, qui inter eos Primus est, exerceri; quam sententiam jam docuerat toto fere primo capite sui Operis, ac præsertim §.6., cujus hoc statuit argumentum: *Potestas Clavium universitati Ecclesiæ a Christo data est; illam hæc per Ministros suos exercet, inter quos Romanus Pontifex primarius quidem est, nihilo tamen minus Universitati subordinatus*. Initio autem ejusdem paragraphi sic inquit: *Quando anterioribus paragraphis probavimus, non unum Petrum esse fundamentum Ecclesiæ, neque illi soli traditas esse claves cum potestate solvendi, atque ligandi, illud volebamus, & debebamus inferre, Petrum solum non esse subjectum immediatum potestatis Ecclesiasticæ, sed clavium potestatem Universitati Ecclesiæ proprie, & ita transcriptam esse, ut illa per suos Ministros pro sua cujusque portione, ac inter hos per Summum Pontificem exerceatur*. Quamquam hic supponere videatur Febronius, etiam Petro traditas fuisse aliquo modo immediate claves Regni Cœlorum; non in alio tamen sensu id supponit, nisi quod ei tamquam Ecclesiæ membro, sicuti reliquis membris Ecclesiæ, datæ fuerint claves Regni Cœlorum, cum eæ immediate dari Ecclesiæ non possent, nisi membris omnibus Ecclesiam constituentibus immediate darentur. Cæterum nullum peculiare privilegium,

gium, nullumque potestatis, ac Jurisdictionis primatum in clavium susceptione Petrum a Christo recepisse Febronius agnoscit, uti ex dicendis patebit. Clavium igitur potestas juxta Febronium Universitati Ecclesiæ immediate, proprie, & ita transcripta est, ut illa per suos Ministros pro sua cujusque portione, ac inter hos per Summum Pontificem exerceatur.

At 1. hæc sententia ab hæreticis acerrime propugnatur. Calvinus enim lib.4. Instit. cap.1. n.22. sic habet: *Clavium potestatem Dominus Fidelium Societati contulit*. Idem docuit Lutherus lib. de potestate Papæ: idem docuerunt, ac docent Protestantium Magistri, quos brevitatis gratia prætermitto. Hanc sententiam a Catholicis Doctoribus communiter explosam instaurare curavit Edmundus Richerius in libello de Eccl., & Polit. potest. edito anno 1611., in quo docuit, *Christum fundando Ecclesiam, prius, immediatius, atque essentialius claves, sive jurisdictionem toti dedisse Ecclesiæ, quam Petro, seu, quod in idem recidit, claves toti dedisse Ecclesiæ, ut per unum ministerialiter exercerentur: quandoquidem tota jurisdictio Ecclesiastica primario, proprie, ac essentialiter Ecclesiæ convenit, Romano autem Pontifici, atque aliis Episcopis ministerialiter, & quoad executionem tantum*. Richerii libellum Concilium Senonense, cui Cardinalis Peronius præfuit, proscripsit anno 1612., tamquam continentem propositiones, expositiones, & allegationes falsas, erroneas, scandalosas, &, ut sonant, hæreticas, & schismaticas. Harum propositionum præcipuas quatuor refert Tournely lib. de Ecclesia qu.5. art.2. Eumdem libellum eodem anno, eademque censura Concilium Aquense confixit: Sacra vero Indicis Congregatio trina proscriptione damnavit, videlicet 10. Maii 1613., 2. Decembris 1622., & 4. Maii 1709. Fatendum tamen hic est, Richerium, antequam moreretur, resipuisse, seseque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subjecisse judicio. Richerium imitatus est Simon Vigorius, seu alius quisquam Jansenianæ Factionis Magister, qui in libro, quem inscripsit,, Spiritus Gersonii ,, pag.77. sic inquit ,, Jesus Christus, postquam semel primum Pastorem Ministerialem designaverat, Gregi suo eligendi ipsius Successores, inque eorum mores inquirendi jus, & potestatem dedit, ita quidem, ut, cum ministerialis hic Pastor omnem suam Potestatem obtineat a Grege, qui jure a Deo sibi concesso illum deligit, hic ipse Grex non tantum adeptus sit jus, Pastori suo rerum gerendarum, ac gubernationis formam inviolatis sanctionibus præfiniendi, sed etiam ipsum redigendi in ordinem, & exauctoratum omni hac potestate spoliandi ,,. Eamdem defendit sententiam Dupinius, quem Clemens XI. in Apostolicis litteris ad Christianissi-

nissimum Regem datis 10. Aprilis 1703. *nequioris doctrinæ hominem, temerataeque sæpius Apostolicæ Sedis reum* appellat. Eamdem quoque tuentur Paschasius Quesnellus, Hexaplorum Auctor, aliique Jansenianæ Factionis Doctores. Videatur Pastorale documentum Archiepiscopi Cameracensis, editum anno 1728., ubi fuse, solideque vir doctissimus eamdem refellit sententiam.

At 2. hæc Febronii doctrina directe opponitur sensui obvio, proprio, ac litterali sacrarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum in iis interpretandis consensioni. Non enim Apostolis, ac Discipulis suis, qui aderant, & Ecclesiam componebant, ac repræsentabant, sed Petro immediate, ac directe Christus dixit Matth. cap. 16. *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves Regni Cælorum &c.*: & Joann. cap. 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas*. Hinc jure optimo sanctissimus, doctissimusque Genevensium Episcopus S. Franciscus Salesius in serm. 32. de Ecclesia, qui in Bibliotheca Chisiana Romæ asservatur, inquit: „ Hæ„ reticorum Ministri omnem lapidem movent, ut quantum possunt, „ inquinent fontem Evangelii, ne Petrus ibi reperiat claves suas. Nihil „ intentatum relinquunt, ut nos avertant ab obedientia, quæ debetur „ Vicario Christi. Quid autem fecerunt? Dixerunt S. Petro promissio„ nem a Domino factam nomine totius Ecclesiæ sic, ut nullum privile„ gium peculiare concessum fuerit ipsius personæ. Si igitur hoc interpre„ tandi modo non pervertatur Scriptura, numquam ab alio in alienum „ sensum detorquebitur. Nonne enim Petro locutus est Dominus? & „ quomodo clarius mentem suam exprimere poterat, quam his verbis: „ & ego dico tibi? Cum enim immediate antea locutus fuisset de Eccle„ sia, dum ait: portæ Inferi non prævalebunt adversus eam; quidnam „ obstat, quominus adjunxisset, & dabo illi claves Regni, si illas im„ mediate dare voluisset Ecclesiæ? Non dixit, illi, sed dabo tibi. Quod „ si liceat explicare loca clara, nihil omnino in Scriptura reperietur, quod „ in omnem sensum detorqueri non possit „. Quod autem ad Patres attinet, paucorum dumtaxat, ne longior sim, verba producam. Tertullianus in Scorpiac. cap. 10. in illa verba: *Tu es Petrus &c. & tibi dabo claves &c.* inquit: *Et si adhuc clausum putas cælum, memento claves ejus Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse*. S. Optatus Milevitanus lib. 1.

adversus Parmen. ait: *Beatus Petrus præferri omnibus Apostolis meruit, & claves Regni Cælorum cæteris communicandas solus accepit*. S. Athanasius in epist. ad S. Julium Papam sic illum alloquitur: *Tu es, sicut divinum veraciter testatur eloquium, Petrus, & super hanc petram &c., tibique claves Regni Cælorum commisit, atque ligare, & succurrere potestative, quæ in Terra, & quæ in Cælis sunt, promulgavit*. Ven. Beda homil. in Festo SS. Petri, & Pauli ait: *Beatus Petrus specialiter claves Regni Cælorum, & Principatum judiciariæ potestatis accepit*. S. Gregorius Magnus lib. 4. epist. 32. ad Mauritium Imperatorem sic scribit: „ Cunctis Evangelium scientibus liquet, „ quod Beatissimo omnium Apostolorum Principi Petro Dominica voce „ totius Ecclesiæ cura commissa est: ipsi quippe dicitur: Pasce oves „ meas. . . . Ego rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua . . . . Tu es „ Petrus, & super hanc petram &c., & tibi dabo claves Regni Cælorum &c. Ecce claves Regni cœlestis accepit; potestas ei ligandi, „ atque solvendi tribuitur; cura ei totius Ecclesiæ, & Principatus com- „ mittitur „.

At 3. jura, quæ verbis superius recitatis Febronius recensuit, & in quibus Romani Pontificis Primatum reponit, nonnisi ad meram vigilantiam, ac directionem revocantur. Quamquam enim iis verbis Romano Pontifici sollicitudinem tribuat omnium Ecclesiarum, & ad eam exercendam competere eidem necessariam auctoritatem fateatur, qua refragantes compellere possit ad servandos Canones, ad fidem illibate custodiendam &c., tota tamen ejusmodi sollicitudo ad meram vigilantiam ab eo revocatur, totaque auctoritas, quam tantopere deprædicat, nullam prorsus veram jurisdictionem involvit, sed est nudi ministerii, meræque executionis, uti clarius ex inferius dicendis patebit. Quare cum Blondello, aliisque mitioribus Hæreticis sentire videtur Febronius, dum jure Primatus a Christo instituti nullam Romano Pontifici jurisdictionem, nullamque veram in alias omnes Ecclesias tribuit potestatem, & si quam forte exerceat, illam ab eo nonnisi jure Ecclesiastico, & juxta Ecclesiæ beneplacitum, ac destinationem exerceri contendit.

Cæterum clarius mentem suam aperit Febronius cap. 2. §. 11., cui hunc præfigit titulum: *Principatus Summi Pontificis per universam Ecclesiam non tam est jurisdictionis, quam ordinis, & consociationis*. Ibi enim Romani Primatus jura repetens, & quamdam eorum anacephalæosim instituens, sic habet: „ Exposuimus præsentis capitis §. 4., & seqq., „ qualiter Summo Pontifici incumbat sollicitudo universæ Ecclesiæ, „ seu,

„ seu, ut malunt Galli, sollicitudo omnium Ecclesiarum: at inde non „ sequitur, Papæ competere jurisdictionem proprie dictam, & immediatam in omnes Ecclesias. Diximus §. 8. esse ei jus proponendi leges „ ab omnibus Ecclesiis observandas: verum addidimus, id eum facere „ non suo jure, sed universalis Ecclesiæ nomine, proindeque ab hujus „ voluntate dependere, an has, ut suas, velit agnoscere. Ad eum non „ pertinere de quibuscumque per OrbemChristianum Ecclesiasticis causis „ cognoscere, ac statuere: imo ante Concilium Sardicense ne ulla quidem ratione jus appellationis ad eum pertinuisse cap. 5. probabimus. „ Potest convocare Generale Concilium: Sed & Senatum congregat „ Præses absque eo, quod solus jurisdictionem teneat, quæ penes corpus „ residet. Debet in casu exortæ hæresis (sicut fecit Stephanus Papa in „ causa Marciani Arelatensis) scribere ad Episcopos Provinciæ, vel Regni, ut Schismaticum Episcopum causa cognita deponant, scandalum „ tollant, Canones Conciliorum universaliter receptos observent, & „ similia. Si vero hi monitis minus obsecundent, ipse per se, suaque „ Primatiali auctoritate scandalosum, vel hæreticum Præsulem non deponit (hoc enim ex sensu genuinorum Canonum in ejus facultate non „ est) sed eum, eique adhærentes excommunicat. Ast ne ipsa quidem „ hæc excommunicatio est actus jurisdictionis proprie talis, uti cap. seq. „ demonstrabimus, quippe cujus jus cuique Episcopo respectu cujuscumque hæretici etiam non subditi competit „. Et paulo post subdit: „ Talem scilicet Sanctus hic Martyr (videlicet Cyprianus) præter propter „ fatebatur Principatum Summi Pontificis in universali Ecclesia, qualem „ Cyprianus gerebat in Africana, qui æqualitatem, & libertatem Episcoporum Africæ non infirmabat, sed solum jus dabat Concilia convocandi, illisque præsidendi, Coepiscopos fraterne admonendi, similiaque, quæ Romano Pontifici per totam Ecclesiam competunt, in sua „ Africana exercendi, eo semper salvo, quod Stephani Romani Pontificis universalis Primatus sit ex institutione Christi, Cypriani è contra „ humanæ Ordinationis; „ Et num. 2, ait: Dico itaque, Romani Pontificis Primatum non esse simplicem nominis, & gradus prærogativam, „ ad eum originarie pertinere jus immediatum, & universale vigilantiæ, „ adhortationis, imo excommunicationis eo, quo diximus, sensu, „ aliaque, quæ hoc capite singulatim recensuimus „.

Poteratne clarius mentem suam aperire Febronius? Uti patet ex adductis verbis, affirmat 1. Febronius nullam veram superioritatem, ac jurisdictionem

jurisdictionem Romano Pontifici, ut universæ Ecclesiæ Primati, in reliquas Ecclesias jure divino convenire. 2. Romanum Primatem esse similem Primati Africano, qui inter Episcopos Africæ est primus inter pares. 3. Jura Romano Primatui a Christo adnexa esse *immediatum, & universale Jus vigilantiæ, adhortationis, & excommunicationis eo sensu, quod ea non sit actus jurisdictionis proprie talis*: quæ quidem omnia non excedunt primatum meri ordinis, nudique directorii. 4. Siquam jurisdictionem, ac Potestatem Romanus Pontifex in universam Ecclesiam habet, ac exercet, eam ab Ecclesia obtinuisse, ejusque nomine, & ad ejus beneplacitum, ac voluntatem, tamquam primum ejusdem Ministrum, exercere, adeoque Romani Pontificis Primatum esse nudi ministerii, meræque executionis. At hoc certe non est genuinum Romano Pontifici tribuere Primatum potestatis, auctoritatis, ac jurisdictionis, qualem eidem jure divino, & ex Christi institutione convenire Catholici unanimiter docent.

Nos vero, qui a Catholicorum sententia ne latum quidem unguem discessuri sumus, hic tamquam ab iis invicte probatum supponimus, Romanum Pontificem, ratione Primatus ordinis, ac jurisdictionis a Christo instituti, esse supremum in tota Ecclesia Judicem, ac Legislatorem divinitus constitutum. Et merito. Cui enim, nisi Petro Christus dixit: *Tu vocaberis Cephas*. Joan. cap. 1.? quam vocem Syri *Petram*, Græci *Caput* interpretantur. Cui, nisi Petro pollicitus est, se super illam petram esse Ecclesiam suam ædificaturum? *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Matth. cap. 16. Cui, nisi Petro, Regni Cœlorum claves tradidit, & una cum agnis oves suas pascendas commisit? *Tibi dabo claves Regni Cælorum*. Matth. cap. 16. *Pasce oves meas, pasce agnos meos*. Joan. cap. 21. Pro cujus tandem, nisi pro Petri fide, ne deficeret, rogavit Patrem suum, & cui, nisi Petro, præcepit, ut aliquando conversus confirmaret fratres suos? *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Lucæ cap. 22. Quid autem juxta Conciliorum, & Patrum interpretationem Ecclesiæ super petram ædificatio, quid clavium Regni cœlorum traditio, nisi jurisdictionis primatum, ac supremam, stabilemque Petro collatam in omnes Ecclesias, ac Fideles potestatem designat? Quid indicat munus illud pascendi agnos, & oves, nisi Petrum a Christo & Subditorum, & Prælatorum Pastorem fuisse institutum? „ Prius agnos „ ut inquit Eucherius

rius Lugdunensis Episcopus in Serm. de Natali SS. Apostolorum Petri, & Pauli „ deinde oves commisit ei, quia non solum Pastorem, sed Pa-„ storum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & „ oves: filios pascit, & Matres: regit & Subditos, & Prælatos. Om-„ nium igitur Pastor est, quia præter agnos, & oves in Ecclesia nihil est„. Quid tandem sibi vult onus illud Petro impositum, ut aliquando conversus confirmet fratres suos, nisi id, quod S. Leo IX. ad Petrum Antiochenum scripsit: „ Solus est ille (videlicet Petrus) pro quo ne deficeret ejus „ fides, Dominus, & Salvator noster asserit se rogasse. Quæ venerabi-„ lis, & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, „ nec defectura creditur in Throno illius usque in sæculum sæculi; sed „ confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, „ sicut usque nunc confirmare non cessavit? „

Huc accedit, quod Primatum jurisdictionis ipsum Ecclesiæ regimen exigit, quod a Christo Monarchicum fuit institutum, uti demonstrant ea, quibus Ecclesiam Sacræ Litteræ exprimunt, symbola Regni, Exercitus, Domus, Navis, Ovilis. Quemadmodum enim Rex unicus in quolibet Regno est, unicus in Exercitu Supremus Ductor, unicus in Domo Paterfamilias, Gubernator in Navi unicus, unicus demum in Ovili Pastor; Ita unicum etiam in Ecclesia Dei Supremum Moderatorem, Judicem, ac Legislatorem esse oportebat, cui Christus vices suas, Primatum, & Supremi Pastoris, ac Principis auctoritatem, potestatemque deferret. „ Nullam aliam Politiam „ inquit Gerso lib. de auferibil. Papæ consid. 8. „ in Ecclesia Christus instituit, præter Monarchicam, & quodammodo „ Regalem; & oppositum sentiens ..... errat in fide, & unitate Ecclesiæ „ contra articulum hunc, & unam Sanctam Ecclesiam; & si pertinaces „ manserint, judicandi sunt hæretici, sicut Marsilius de Padua, & qui-„ dam alii. Christus fuit Sapientissimus „ scribit Almainus de Supr. Potest. Eccl. cap. 1. „ quia plenus sapientia, & quod instituerit optimam Po-„ litiam: sed optima Politia debet regi regimine regali, ut dicit Ari-„ stoteles in Politic., itaut unus sit, qui in quemque habeat potestatem, „ & nemo in eum „.

Quid plura? Ipsos etiam Protestantes recentiores hanc fateri veritatem scimus, inter quos Grotius in animadvers. adversus Andream Rivetum ejusdem factionis hominem ita scribit: „ Sicut Exercitus, sicut „ Navis regi non potest, nisi per gradus Præfectorum, qui gradus in „ unum desinant, ita nec Ecclesia &c. Deus ad res optimas etiam opti-

„ mas

„ mas monstrat vias, qualis est ad unitatem Ecclesiæ certus ordo. Hic
„ ordo quis esse deberet, monstravit in Petro Christus: ei enim cla-
„ ves Regni cœlorum dedit pro toto Collegio, tamquam Collegii
„ Principi „.

Porro quam divino jure inter Apostolos Petrus, illam eodem jure inter cæteros Episcopos Romanus Antistes obtinuit prærogativam. Cum enim Christus Ecclesiam suam usque ad consummationem Sæculi permanere vellet, quin umquam adversus illam portæ inferi prævalerent; necesse fuit, ut perpetua Pontifices serie Apostolorum Principi Petro in Ecclesiæ regimine, & in suprema auctoritate, ac potestate succederent. Nam cum super Petrum, seu Petram ædificata fuisset Ecclesia; ne subtracto fundamento (è vivis videlicet sublato Petro) Ecclesia rueret, ac interiret; perpetuo debuit hoc fundamentum in Petri Successoribus conservari. Hinç, ut optime inquit S.Augustinus epist.162. „ in Romana
„ Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus „ & uti ad Patres Œcumenici Ephesini Concilii dixit Philippus Presbyter S. R. E., & Apostolicæ Sedis Legatus „ nulli dubium, imo Sæculis omnibus no-
„ tum est, quod Sanctus, Beatissimusque Petrus, Apostolorum Prin-
„ ceps, & Caput, Fideique columna, & Ecclesiæ Catholicæ funda-
„ mentum a D. N. Jesu Christo Salvatore humani generis, ac Redem-
„ ptore claves cœli accepit..... qui ad hoc usque tempus, & semper
„ in suis Successoribus vivit, & judicium exercet „.

Doctrinam hanc, quam Catholici unanimiter tuentur, Gerso docuit, qui inter Pontificiæ potestatis assentatores recenseri certe non potest. Is itaque in tract. de Stat. Eccl. tit. pro Summ. Pontif. consid.1. sic habet: „ Status Papalis institutus est a Christo immediate, tamquam Pri-
„ matum habens Monarchicum in Ecclesiastica Hierarchia; quem sta-
„ tum qui impugnare, vel diminuere, vel alii statui Ecclesiastico coæ-
„ quare præsumit, si hoc pertinaciter faciat, hæreticus est, Schismati-
„ cus, impius, & sacrilegus „ & lib. de origine Juris, & legum concl.2. apud Mauclerum de Monarch. Eccl. 1. p. 2. cap.6. sic inquit: „ Pleni-
„ tudo legis Ecclesiasticæ non potest esse de lege ordinaria, nisi in Sum-
„ mo Pontifice formaliter, & subjective: alioquin Ecclesia habere po-
„ test multiplex Caput; quod est hæreticum „ & in Regulis Moralibus ante finem: „ Plenitudo jurisdictionis residet apud Papam, & in alios se-
„ cundum ejus determinationem derivatur „. Idem fusius repetit lib. de vita spirituali lect. 3. Eamdem sententiam Cardinalis Petrus de Alliaco

inter

inter Gallos Doctores Vir præclari nominis docuit lib. de Ecclesiæ, & Cardinal. auctoritate p. 1. cap. 1. concl. 2. „ Dominus contulit Petro, „ & suis Successoribus auctoritatem disponendi Ministros Ecclesiæ, & „ determinandi jurisdictionem dicens: Pasce oves meas; idest sis Pastor, „ & Prælatus Generalis, ad quem pertinet dispositio, & regimen gene- „ rale ovium, & ovilis; „ quod quidem expressius repetit 3. par. cap. 1., ubi sic dicit: „ 2. dico, quod hæc plenitudo jurisdictionis proprie lo- „ quendo residet in Romano, seu Summo Pontifice, qui Petro succe- „ dit, quia proprie aliqua potestas plene dicitur esse in aliquo, qui „ illam potest generaliter exercere, & ministerialiter in omnes di- „ spensare „.

Eamdem veritatem professi sunt Sorbonici Doctores in hoc decreto, quod Calendis Decembris ann. 1554. ediderunt: „ Omnes, & sin- „ guli Magistri nostri ipsum Romanum Pontificem, ut Summum, & „ universalem Jesu Christi Vicarium, & universalem Ecclesiæ Pastorem, „ cui plenitudo potestatis a Christo data sit, fideliter, & libenter agno- „ scunt, & confitentur „. Bossuetus quoque in oratione habita ad Clerum Gallicanum in celeberrimis Comitiis ann. 1682., in quibus hæc de potestate Ecclesiastica declaratio emanavit: „ Non audiendum eum, qui „ diceret, cum Petri persona extinctum Petri ministerium; illud enim, „ quod Ecclesiæ æternæ est firmamentum, finem habere non potest; „ In ea, inquam, oratione sic habet: „ Petrus semper loquetur in sua Ca- „ thedra. Hanc veritatem confirmarunt 600. Episcopi Synodi Chalce- „ donensis. Roma, ut Religionis, Ecclesiæque Caput foret, prædesti- „ nata, ea de re Petri Ecclesia ut foret, oportuit; atque ita Romæ Ca- „ thedra æterna constituta est. Quamobrem Ecclesia Romana a Petro, „ ejusque Successoribus edocta nullam unquam hæresim amplexa est.... „ Ita Romana Ecclesia semper Virgo permansit, ac Romanæ Ecclesiæ „ fides semper universæ Ecclesiæ fides extitit: semper creditur id, quod „ semper creditum est: eadem vox ubique personat, & Petrus in suis „ Successoribus semper Christifidelium est fundamentum. Id Christus „ dixit. Cœli, & Terra transibunt; verba autem ejus non præte- „ ribunt „.

Cum itaque ex Christi institutione Romanus Pontifex primatum habeat potestatis, ac jurisdictionis in universam Ecclesiam, adeoque sit in ea Supremus Rector, Pastor, Judex, ac Legislator constitutus; illud mani-

manifeste sequitur, licere cuique in Ecclesiasticis causis Romani Pontificis tuitionem per appellationem implorare, nisi forte causam aliquam Pontifex alicui dijudicandam commiserit cum clausula, *omni appellatione remota*, vel nisi Conciliari, aut Pontificio decreto in aliquo causarum genere, certisque in circumstantiis appellatio interdicatur. Si enim in civilibus, profanisque causis, ut initio hujus capitis præmonuimus, appellare cuilibet licet ad Sæcularem Supremum Principem, cujus Summæ Potestati onus adnexum est ad communem, publicamque salutem actiones Civium dirigendi; quanto potiori jure in causis spiritualibus, atque Ecclesiasticis provocare cuilibet licebit ad Romanum Pontificem, cui Christus potestatem, ac jurisdictionem in Ecclesiam universam contulit, pascendique totius Christiani Gregis curam, ac sollicitudinem demandavit! Quanto enim majoris sunt momenti, præ civilibus, ac profanis, Ecclesiasticæ, ac spirituales causæ, in quibus aut de Fide agitur, aut de moribus, aut de divino cultu, ac Religionis exercitio, aut de alia quacumque re, quæ ad Ecclesiasticam pertinet disciplinam! Quanto proinde nobilior est, atque excelsior, præ summa Politica Potestate, suprema illa jurisdictio, atque auctoritas, quam in omnes Ecclesias ex Christi institutione Romani Pontifices obtinent, ac exercent! „ Definimus „ inquit Œcumenica Florentina Synodus „ Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, „ & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium „ Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. Jesu „ Christo plenam potestatem traditam esse. „

Quæ cum ita sint, quis non fateatur, Jus appellationum ex omnibus totius Ecclesiæ partibus recipiendarum esse, ut inquit Natalis Alexander in Histor. Eccl. sæcul.4. dissert.28., appendicem veluti quamdam Primatus jurisdictionis, ac potestatis, quo S. Petrum, ejusque Successores Romanos Pontifices Christus insignivit, & quo Romanum Pontificem Supremum in Ecclesia constituit Judicem, ac Legislatorem? Quis non facile intelligat, quam falso Febronius scripserit, *Romano Pontifici ex natura, & jure Primatus non competere jus appellationum ex omnibus totius Ecclesiæ partibus recipiendarum*; contra vero, quam sapienter, vereque affirmaverit Benedictus XIV. lib.4. de Synodo Diœcesana cap.5. num.1.

Cum

Cum Primatus Prærogativa Romanus Pontifex sit Supremus in Ecclesia Judex, cuique datur per appellationem ipsius implorare tuitionem: ab inferioris quippe sententia Superioris Tribunal adire omnibus concessum esse ipsa naturalis æquitas dictat, & suadet?

PARS II.

An jus recipiendarum ab omnibus Mundi partibus appellationum sit privilegium adjectitium, primo tributum Romano Pontifici a Sardicensi Synodo, quæ proinde per suos Canones novum quid, & antea insuetum introduxit?

CUM Febronius intelligeret, Jurisdictionis, ac Potestatis Primatum in universam Ecclesiam necessario connecti cum appellationum jure ab omnibus Mundi partibus recipiendarum; ne ejusmodi jus Romano Pontifici tribuere cogeretur; primatum quidem ei tribuit Ordinis, honoris, ac directionis, sed primatum, ut vidimus, jurisdictionis, ac potestatis denegavit. Verum cum etiam nosset, opponi sibi a Catholicis posse perpetuam Ecclesiæ praxim, qua semper, & a quocumque judicio e remotissimis etiam regionibus ad Romanum Pontificem provocatum est, causæque iterum ab eo discussæ sunt, ac definitæ; affirmavit hoc appellationum recipiendarum jus esse privilegium, non Romano Pontifici originarie, & ex natura Apostolici Primatus competens, sed adjectitium, ac primo a Sardicensi Synodo eidem concessum, quæ per ejusmodi concessionem novum aliquid, & antea insuetum introduxit. Duo itaque contendit Febronius. 1. ante Sardicensem Synodum neque delatas ad Romanum Pontificem, neque exceptas ab eo fuisse è variis Mundi partibus appellationes. 2. hoc recipiendarum appellationum privilegium a Sardicensi Synodo primum ei fuisse collatum. *Scilicet præter antiquum* (ut ipse inquit cit. cap. 5. §. 5.) *judiciorum Ecclesiasticorum morem a Conciliis Nicæno, & Antiocheno definitum, amplius aliquid a Sardicensi Synodo ordinatum fuit, Romanoque Pontifici attributus honos cum auctoritate conjunctus, quem nec ex jure divino, nec ab antiquiore lege Ecclesiastica obtinuerat*. Utramque propositionem paulo enucleatius examinemus. Sed pauca prius de Sardicensi Concilio, de Isidori Decretalibus, ac de Episcoporum, seu Cleri Romani Synodo, qua in gravioribus causis dijudicandis uti Romani Pontifices consueverunt, innuamus.

CAPUT I.

Brevis Concilii Sardicensis notitia.

QUamquam Nicæni Patres Arianam hæresim profligassent; non defuere tamen, qui illam paulo post dolo, vi, & ea, qua apud Principes pollebant, gratia paulatim instaurare curarint. Horum fuere Principes duo Eusebii, alter Nicomediensium, alter Cæsaræensium in Palæstina Episcopi, qui cum Ariani essent, vocem illam *consubstantialis*, ut novam, ac Sabellianismi suspectam, traducere cœperunt, contra sanctiores, doctioresque Episcopos populum concitare, eos de Sabellianismo criminari, maledictis proscindere, è suis Sedibus abiicere sibique Patriarchales Ecclesias, per iniquam intrusionem, vindicare. Duos hi potissimum oderant Athletas Fidei fortissimos, Eustatium videlicet Antiochenum, & Athanasium Alexandrinum, quorum primum eorum opera, tamquam Sabellianum, & flagitiosum Antiochena, alterum Tyria Synodus, tamquam flagitiosiorem, ab Episcopatu dejecit, & Constantinus Magnus Imperator, eorum fraudibus circumventus, in Galliam ablegavit. Verum cum mox ex testamentaria Constantini jussione in sedem suam Athanasius rediisset; & S. Alexandro Episcopo Constantinopolitano è vivis sublato Paulus vir Sanctissimus successisset; Ægre id ferens Eusebius Nicomediensis, vires omnes exeruit, ut, Paulo ab Episcopatu per calumnias extruso, Constantii Imperatoris auctoritate Regiæ Urbis Cathedra sibi traderetur. Voti compos factus, Arianam hæresim partim moderatus est, partim fuco verborum obduxit, seseque novæ factionis Ducem præstitit, quam ab ejus nomine Eusebianam nuncuparunt. Interea Athanasium, cujus doctrinam, & zelum oderat, exagitare iterum cœpit, invisumque Constantio reddere novis, falsisque criminationibus. Coacta proinde Antiochena Encæniorum Synodo, eumdem, ut Apostolici Canonis, Ecclesiasticæque dignitatis prævaricatorem, damnavit, quod videlicet a Tyria Synodo dejectus, Ecclesiastico contempto judicio, ad Laicum Principem Constantinum confugisset, ejusque jussione ad Episcopalem Cathedram remeasset. Mox in Alexandrinam Sedem Gregorium Cappadocem armata Militum vi, nec sine plurimis, maximisque sceleribus intrusit. Præter Alexandrinam, alias Eusebiana factio pari crudelitate fœdavit Ecclesias, alios ejecit Episcopos, ac præsertim Marcellum Ancyranum, Lucium Adrianopolitanum, Asclepam Gazensem, aliosque præclarissimos Antistites, qui acerrime pro Orthodoxa Religione dimicabant.

Hæc

Hæc videns Athanasius, ut Ecclesiæ tot inter procellas fluctuanti prospiceret, ad Romanum Pontificem Julium I. appellavit. Hic *secutus*, uti scribit Theodoretus lib. 2. cap. 5.. *Ecclesiæ Canonem*, utique *Apostolicum, atque divinum*, uti explicat Christianus Lupus in Scholiis, & Notis ad Canonem Sardicensem III., Eusebianæ factionis homines, rationem lati in Athanasium judicii reddituros, Romam evocavit. At Eusebiani, ne Romam accederent, cujus judicium reformidabant, præfixi temporis brevitatem, bellum Principis in Persas, aliasque excusationes apud Julium prætexuere. Interea, mortuo Eusebio, summa omnium gratulatione in sedem suam Paulus revertitur, qui tamen iterum per Constantium Eusebianorum opera ejectus, Romam accessit, ut una cum Athanasio, Marcello, Lucio, Asclepa, aliisque plurimis interpositam coram Julio appellationem prosequeretur. Eusebianos, a quibus hi damnati fuerant, Romam evocatos per menses 18. Romanus Pontifex expectavit. Verum cum hi novas semper necterent moras, novasque Orthodoxis injurias irrogarent; fatigatus tandem processit in causa, Antistites, qui appellaverant, in communionem recepit, suis restituit sedibus, ac restitutorias litteras ubique divulgavit, Canonicas comminatus pœnas iis, qui similia deinceps in Orthodoxos Episcopos attentarent. *His illi graviter commoti*, inquit Sozomenus lib. 3. cap. 7. *convenerunt denuo Antiochiæ in unum, & epistolam verbis elegantibus ornatam ad Julium scribunt, sed plenam ironiæ, & injuriarum non expertem gravissimarum*. In Antiochena autem ejusmodi Pseudo-Synodo dolosos quosdam Canones condidere, quibus, etsi Episcoporum ad Laicos Principes recursum compescere velle viderentur, re tamen ipsa Sedis Apostolicæ privilegia, Romanas videlicet appellationes, omnium primi studuerunt evertere.

Tantam Eusebianorum indignatus proterviam Julius, Œcumenicam Synodum, teste S. Athanasio in litteris ad solitarios, haberi, ubicumque Episcopi vellent, jussit, eumque in finem opem a Constante Augusto, qui Apostolicæ Sedi favebat, postulavit. Hic, cum quid Alexandriæ, & in universo Terrarum Orbe contra Catholicos gereretur, accepisset, scripsit ad Constantium Fratrem, cum eoque convenit, ut expetita Synodus celebraretur. De utriusque igitur Augusti consensu electa fuit Sardica, Urbs Daciæ Mediterraneæ primaria, quæ quamquam sub Constantis dominio sita, cum tamen utriusque Imperii limes esset, credita fuit habendæ Synodo opportunissima. Ad eam ab utroque Augusto invitatus Julius, *honestam*, ut inquit prima Synodalis epistola, *&*

necessariam dedit absentiæ excusationem: misit tamen, qui interessent, ac præessent, Legatos suos, videlicet Hosium Cordubensem Episcopum, Archidamum, & Philoxenum S. R. E. Presbyteros, ac Leonem S. R. E. Diaconum. Hosium Synodo præfuisse constat 1. ex tertia Synodali Epistola, & ex singulis fere canonibus, ipsiusque Synodi subscriptione. 2. ex relatione Concilii Chalcedonensis ad Marcianum Augustum, ubi sic habetur: *Illis, qui apud Sardicam contra reliquias Arii convenerunt, Hosius ad proferendam sententiam præerat*. 3. ex litteris S. Athanasii ad solitarios, in quibus Hosium vocat *Synodi Sardicensis Patronum*.

Plusquam 300. Episcopos ex 36. Orientalibus, atque Occidentalibus Christiani Orbis Provinciis Concilio interfuisse affirmant S. Athanasius in 2. Apologiæ initio, & S. Hilarius lib. de Synodis. Quare illud *ex toto Orbe convocatum* Sulpitius lib. 2. Sacræ Historiæ, *generale Concilium* Socrates lib. 2. cap. 16. Histor. Eccl., & *Oecumenicum* Justinianus Imperator vocat in suo ad omnem Ecclesiam edicto pro Orthodoxa fide. Accedit, quod *Sardicense Concilium ad eos Episcopos, qui interesse non poterant, decreta sua misit, & ipsi quoque suffragiis suis ea approbarunt*, verba sunt S. Athanasii sub Apologiæ 2. finem. Propterea præcepit Synodus eadem, ut *universa, quæ constituerat, Catholica Ecclesia in universo Orbe diffusa custodiret*. De tempore, quo celebrata Synodus fuit, sic habet Carolus Sigonius, cui Scriptores fere omnes adhærent: „ Concilium Sardicense rogatu Constantis, & permissu Constantii actum est anno decimo, postquam Constantinus pater discessisset è vita: Moritur autem Constantinus anno Domini 337. Concilium igitur Sardicæ habetur anno 347. „.

Sardicam itaque tum Eusebiani, tum Orthodoxi Episcopi convenere; illi, *ut adventu suo* (3. Synodalis epistolæ verbis utor) *existimationem, quasi non peccassent, excitarent, & pro perfunctoriæ purgationis specie adventum suum ostentarent*, quamquam criminum conscientia perterriti judicium Synodale reformidarent; Athanasius, Marcellus, aliique, ut Eusebianos immanium criminum, & iniquorum judiciorum reos accusarent; reliqui tandem Orthodoxi Antistites, ut rectum ferrent sine ulla personarum acceptione judicium. „ Hæc illi „ idest Eusebiani „ conspicati (scribit in epist. ad Solitarios Athanasius) etsi alacriter advenerunt, tamen cum animadverterent nostram fiduciam, intra Palatium se recluserunt, quo in loco domicilium habebant. Atque ibi ita inter se consusurrarunt. Ad alia venimus, alia conspicimus. Accessimus cum

„ Co-

,, Comitibus, & sine Comitibus res agitur. Prorsus futurum est, ut condemnemur. Nostis, qualia sint decreta, ordinationesque. Athanasio in manu sunt monumenta omnium Marætote actorum, quibus ille quidem purgatur, nos autem confundimur. Quid igitur hæsitamus? quid moramur? Fingamus aliquam causificationem, & discedamus, ne, si manserimus, condemnemur. Melius est de fuga erubescere, quam convictos de Sycophantia damnari. Si fugerimus, poterimus aliquo modo hæresim propugnare. Quod si fugientes condemnaverint, habebimus Cæsarem (videlicet Constantium) propugnatorem, qui non permissurus est, ut a populis de Ecclesiis ejiciamur ,,. Porro consilium, quod inierant, perficientes, Philippopolim, vicinam Thraciæ Civitatem, secesserunt, utque fugam honestarent, duplicem recessus sui causam commenti sunt. Prior fuit, quod ipsi, cum plurimi facerent Patriarchalium Synodorum judicia, Athanasium, aliosque a se damnatos Antistites inter Laicos, & reos stare in Synodo vellent, donec eorum causa retractaretur; Hosius vero eos sedere inter Episcopos, & Judices juberet, ut Romanæ Ecclesiæ auctoritatem tueretur, quæ illos Sedibus suis, ac Episcopali dignitati restituerat. Alteram causam ab iis confictam sic in cit. epistola Athanasius describit: ,, Illi, cum hæc audirent, & magis, magisque percellerentur, absurdiore, quam Antiochiæ, causificatione usi sunt, & sub eo prætextu, quasi Imperator ipsis triumphalia de Persis per litteras scripsisset, fugam adornarunt, & sine pudore hanc cavillationem pro excusatione per Eustatium Presbyterum Sardicensis Ecclesiæ renunciarunt ,,.

Cum Philippopolim 76. circiter Eusebiani Episcopi se recepissent; Conciliabulum ineuntes, quod esse Sardicense Concilium jactitabant, Athanasium, Paulum, Asclepam, aliosque a se damnatos Antistites iterum condemnarunt, Romanumque Pontificem Julium, quod illos in suam communionem recepisset, suoque restituisset gradui, veluti quinti Nicæni Canonis, ac Orientalis Synodi prævaricatorem, gradu, & communione privarunt. Hosium quoque Concilii Præsidem, Protogenem Sardicensem Episcopum, & Maximinum Trevirensem, tamquam incentores Julii ad prævaricandum, eadem multarunt pœna. Novum præterea Fidei symbolum edidere, in quo, omissa voce *consubstantialis*, sub Orthodoxis vocibus Arianum sensum occultarunt, uti ad solitarios scribit S. Athanasius. Synodalem denique scripserunt Epistolam, eamque non

secus,

ſecus, ac veri Concilii Sardicenſis foret, per omnes Eccleſiæ, Imperiique Diœceſes ſpargere non dubitarunt.

At Orthodoxi Epiſcopi Sardicæ congregati morbos, quibus vexabatur Eccleſia, curare potiſſimum ſtuduerunt. *Tria fuerunt, quæ tractanda erant*, inquit Synodalis Epiſtola ad Julium Papam. „ Ante omnia agendum erat de ſancta Fide, & de integritate veritatis, quam „ Euſebiani violaverant. 2. de perſonis, quas dicebant eſſe dejectas, de „ iniquo judicio, ut, ſi potuiſſent probare, juſta fieret confirmatio. „ 3. quæſtio, quod graves, & acerbas injurias, intolerabiles etiam, „ & nefarias contumelias Eccleſiis feciſſent, cum raperent Epiſcopos, „ Presbyteros, Diaconos, & omnes Clericos &c. „ Verum quod ad Fidem ſpectat, ſic ait Sozomenus lib. 3. cap. 11. *Eodem tempore aliam quoque Fidei formulam ediderunt, pluribus quidem verbis ſcriptam, quam quæ in Nicæno Concilio edita fuiſſet, ſed tamen eamdem complectentem ſententiam, & verbis non multum ab illa diſcrepantem*. At S. Athanaſius, qui Sardicenſi Concilio interfuit, & cujus multo pluris, quam Sozomeni, facienda eſt auctoritas, ſic ad Antiochenam Eccleſiam ſcribit „ Tabellas, quas nonnulli jactant, quaſi in Sardicenſi Synodo de Fide conſcriptas, ne legi „ quidem ſemel, aut proferri ſinatis. Nihil enim tale Concilium definivit. Quamvis enim certi homines nonnulla, quaſi quæ deeſſent Nicæno Concilio, adſcribere vellent, idque acriter contenderent; ſancta „ tamen Synodus, quæ Sardicæ convenit, indigne id tulit, decretoque „ ſancivit, ne quid ulterius de Fide ſcriberetur, & ſeſe contentos eſſe „ Nicæna Fide declaraverunt, ut cui nihil deeſſet, & in qua integra, & „ ſolida pietas contineretur, neque edendam eſſe aliam profeſſionem „ Fidei, ne illa, quæ Nicææ ſcripta eſt, ſuos numeros non habere videretur, neve illis, quibus libido eſt ſemper nova ſtatuere, occaſio „ hujuſmodi ſuppeditaretur, ut iterum, atque iterum de Fide definiant. „ Quod ad perſonas attinet ab Euſebianis dejectas, Concilium 1. damnavit doloſos Antiochenos Canones, quibus Euſebiani innitebantur. 2. Athanaſium, Paulum, Marcellum, alioſque plures Epiſcopos, quos Julius abſolverat, iterum abſolvit, ſuiſque ſedibus reſtituit. 3. Euſebianos illos, qui præcipui fuerant flagitiorum auctores, *exauctoratos omnino ab officio Epiſcopatus ſubmovit, decrevitque, eos non modo Epiſcopos non eſſe, ſed ne dignos quidem Fidelium communione*. Tandem Canones quoſdam condidit, quibus Eccleſiaſticæ conſuleretur diſciplinæ.

Di-

Dimisso Concilio, curandum fuit, ut Athanasius, aliique a Julio, & a Synodo communioni, & gradui restituti ad suas remearent sedes, universæ vero Ecclesiæ Synodales leges indicerentur. Utrumque peractum est. Primum Constantis Augusti religio præstitit: nam cum in Occidente Sardicensem Synodum executioni demandari jussisset, a fratre suo Constantio per preces, ac minas obtinuit, ut & in toto Oriente Concilium vim legis haberet, & Alexandriam Athanasius perhonorifice revocaretur. Alterum S. Julii, S. Athanasii, aliorumque Antistitum opera effectum est: brevi enim tum in Occidente, tum in Oriente Sardicensia decreta publicata fuere, usuque, & praxi confirmata. Quid plura? Eusebiani ipsi, teste Sozomeno lib.4. cap.12., & 13., ex Ancyrana Synodo Legatos ad Constantium misere rogantes, ut Sardicensem Synodum recipi, servarique juberet.

Non semel Romani Pontifices Nicænorum nomine Sardicenses Canones nuncuparunt. Id potissimum contigit anno Christi 419., cum Synodum VI. Carthaginensem 217. Africani Antistites celebrarent. Appiarius Siccensis Presbyter ab Episcopo suo Urbano de gradu, & communione dejectus, ad Apostolicam Sedem provocaverat, & a Zosimo, apud quem multis Urbanum nominibus accusaverat, litteras impetrarat, quibus ipse in pristino gradu, ac Sacrorum consortio reponi, Faustinus vero Potentinus Episcopus, qui tamquam Apostolicæ Sedis Legatus dictæ Synodo VI. erat interfuturus, Pontificias exequi litteras, & in Urbani mores diligenter inquirere juberetur. Jussa Legatus fecit: at obstitere Africani Patres, vetustissimam Africanæ Ecclesiæ consuetudinem obtendentes, quæ in Ecclesiasticæ disciplinæ causis transmarinas appellationes Clericis interdicebat. Cum reposuisset Faustinus, eas per Nicænos Canones permitti; negarunt Patres, ullum ejusmodi Canonem inter Nicænos in Ecclesiæ Africanæ Codice descriptos reperiri. Ad controversiam dirimendam Legatos miserunt ad Cyrillum Alexandrinum, & ad Atticum Constantinopolitanum, ut exemplaria ab iis obtinerent Canonum Nicænorum, quos in illarum Ecclesiarum Scriniis fama erat integros, incorruptosque servari. Voti compotes facti, in Africam tulerunt expetita Canonum exemplaria, quæ Africani Patres eodem anno 419. ad Bonifacium I. (obierat enim Zosimus) Romam misere. Porro in iis neque reperti sunt, neque reperiri potuere Canones ulli, qui Romanas appellationes permitterent: ejusmodi enim Canones non Nicæna Synodus, sed Sardicensis ediderat.

Ve-

Verum tum post, tum ante Zosimum, Pontifices alii Nicænorum nomine Sardicenses Canones nuncuparunt. Sic ante Zosimum S. Innocentius I. in epist. ad Clerum, Populumque Constantinopolitanum damnans Theophili Alexandrini Synodum, quod S. Joanni Chrysostomo, qui ad Apostolicam Sedem appellaverat, alium Episcopum superordinasset, *Numquam sane*, inquit, *Patres nostros talia ausos fuisse, sed potius vetuisse cognovimus, ne cui in locum viventis alium per consecrationem substituendi sit potestas. Hæc contra Canonum observationem sunt. Canonibus porro obsequendum scribimus, qui Nicææ sunt decreti, quos solos consectari decet Ecclesiam Catholicam, & juxta eos judicare*. At nonnisi Sardicensis Canon appellanti Episcopo alium superordinari vetat. Canonem ergo Sardicensem vocat Nicænum. Eamdem usurpat nomenclaturam idem Pontifex in litteris ad S. Victricium Rothomagensem, & in litteris ad Theophilum Alexandrinum. Concilium quoque Constantinopolitanum I. ante Zosimum sub S. Damaso celebratum in relatione ad Romanam Ecclesiam de suo 2. Canone sic scribit: *De administrationibus singularum Ecclesiarum tum vetus lex obtineat, tum Sanctorum Patrum in Concilio Nicæno decisio, ut videlicet singularum Provinciarum Antistites una cum finitimis, modo ipsis ita visum fuerit, Episcopis ad Ecclesiarum commodum habeant ordinationes*. At nullus Nicænus Canon permittit umquam, aut mandat, vicinæ Provinciæ Episcopos ad Ordinationes habendas invitari. Facit id sextus Canon Sardicensis, quem Constantinopolitani Patres ad Romanam scribentes Ecclesiam Romano more Nicænum nuncuparunt. Post S. Zosimum S. Leo Magnus, S. Gelasius, S. Gregorius Magnus, aliique Pontifices hunc loquendi usum retinuere.

At cur hi Sanctissimi Viri Sardicenses Canones nuncuparunt Nicænos? Marcus Ephesiorum Metropolita, & Novatores plurimi eos fraudis arguunt, & falsitatis. Sed immerito. Cui enim bono fraudem facerent, cum pro Romanis appellationibus, quas tuebantur, apertissime starent Sardicenses Canones, qui paris, ac Nicæni, in Ecclesia erant auctoritatis? Qua prudentia Zosimus, si Sardicenses Canones ex fraude nuncupasset Nicænos, tam facile consensisset, ut pro authenticis Canonum Nicænorum exemplaribus conquirendis ad Ecclesias Alexandrinam, & Antiochenam Legati mitterentur, cum dubitare non posset, facillime fraudem suam esse detegendam? Cur hac igitur nomenclatura usi sunt? Ratio hæc est. Cum Sardicenses Canones quædam essent Nicænorum expositio, & confirmatio adversus Schismaticas Eusebianæ

Fa-

Factionis novitates, & quædam ad Nicænos appendix; Auctor Codicis Canonum, quo quarto, & quinto Sæculo Romana utebatur Ecclesia, sub eodem Canonum Nicænorum titulo sine ullo discrimine Nicænis Sardicenses adjunxerat, uti patet ex vetustissima eorumdem Canonum collectione, quam in editione Operum S. Leonis Magni vulgavit Paschasius Quesnellus, & uti testatur Coutantius in Notis ad Zosimi epistolam 15. pag.981., qui eamdem Canonum Nicænorum, & Sardicensium sub eodem Nicænorum Titulo conjunctionem in MSS. codicibus Morbacensi, Fossatensi, & Colbertino se vidisse affirmat. Inde consuetudo in Romana invaluit Ecclesia, ut Sardicenses Canones dicerentur Nicæni. Res non vacat exemplis. Sic Symbolum Constantinopolitanum ab Ecclesia tum Græca, tum Latina dictum semper est *Nicænum*, & ab ipsa Constantinopolitana Synodo cap.1. *Nicænum* nuncupatur, quia nihil est aliud, quam clarior Nicæni expositio per quasdam additas voces, quibus grassantes tunc hæreses everterentur. Hinc Marcus Ephesiorum Metropolita in Concilio Florentino interrogatus, cur Symbolum Constantinopolitanum a Græcis, & Latinis Nicænum nuncuparetur, respondit, *quia virtute in Nicæno continetur*.

Verum quomodo Africani Episcopi in Synodo VI. Carthaginensi congregati, quos inter aderant S. Alipius, & S. Augustinus, Sardicenses Canones ignorare potuerunt, cum Concilio Sardicensi Gratus Carthaginensis Episcopus, pluresque Africani Antistites adfuissent, ac subscripsissent? Nonne eos, absoluto Concilio, Acta Synodalia, ac præsertim Canones, secum deportasse existimabimus? Quid, quod Gratus ad suam loquens Carthaginensem Synodum cap. 5. ait: *Hæc observantia pacem custodit: nam & memini a Sanctissimo Sardicensi Concilio similiter statutum*. Accedit, quod Hosius, Sardicensis Concilii Præses, plurimam cum Afris habuit necessitudinem, ac proinde ambigendum non videtur, quominus eamdem ipsis Synodum commendarit. At quamquam certa hæc sint, certum tamen pariter est, fuisse postmodum Sardicenses Canones Africanis Patribus prorsus ignotos, nullumque in tota Africa fuisse eorum inventum exemplar, cum de Romanis Appellationibus controversiam cum Zosimo habuere, quamquam Bibliothecas, & Ecclesiarum Scrinia diligentissime lustrassent. Quare credibile est, eos neque a Grato, neque ab aliis Episcopis delatos in Africam fuisse. Et sane Gratus ad Synodum dicens: *memini a Sanctissimo Sardicensi Concilio similiter statutum*, insinuavit Synodi Codicem non fuisse ad manum, sed

ex ſola memoria, ſe loqui. Accedit, quod Donatiſtæ plurimis in Africa Orthodoxis Epiſcopis, Presbyteris, ac Diaconis per violentam manuum impoſitionem in pœnitentium numerum detruſis, irreparabilem irregularitatis notam inuſſerant: unde ſumma orta fuerat Clericorum inopia, atque incredibilis, præſertim Sacrorum Canonum, ignorantia, quæ eo proceſſerat, ut Nicænum ipſum Concilium, exceptis Fidei, & Paſchalis temporis definitionibus, ignoraretur. Id exemplo ſuo, ac S.Valerii Hipponenſis Epiſcopi probat S.Auguſtinus. Teſtatur enim in epiſt. 34. ad Paulinum, ſe, cum initiatus fuit Epiſcopus, & a Valerio Hipponensi Antiſtite in conſortium Epiſcopatus aſſumptus, ignoraſſe octavum Concilii Nicæni Canonem, quo duo ad ejuſdem Civitatis regimen Epiſcopi aſſumi prohibebantur. Quid ergo mirum, quod Africani Patres Sardicenſes Canones ignoraverint?

Meminit quidem non ſemel Concilii Sardicensis Auguſtinus: at illud ſemper tamquam Arianorum conciliabulum reprobavit. Et merito: nam Concilium Sardicenſe, de quo loquitur Auguſtinus, nihil erat aliud, quam Epiſtola Encyclica Conciliabuli Philippopolitani, ſub Concilii Sardicensis nomine ab Euſebianis exarata, & Donato Carthaginensi, aliiſque Epiſcopis inſcripta. Sic enim Auguſtinus in litteris ad Eleusium, Glorium, & Felicem Epiſcopos Donatiſtas ſcribit: *Fortunius* (Epiſcopus Donatiſta) *Tuburſicenſis protulit quoddam volumen, ubi volebat oſtendere, Sardicenſe Concilium ad Epiſcopos Afros, qui erant communionis Donati, dediſſe litteras. Quod cum legeretur, audivimus Donati nomen inter cæteros Epiſcopos, quibus illi ſcripſerant. Itaque flagitare cœpimus, ut doceretur, utrum ipſe eſſet Donatus, de cujus parte iſti cognominantur*. Et paulo poſt ſubdit: *ſane quoniam neſcio quando audiveramus Arianos, cum a Catbolica Communione diſcrepaſſent, Donatiſtas ſibi in Africa ſociare tentaſſe, ad aurem mihi hoc ipſum frater Alipius ſuggeſſit. Tunc accepto ipſo volumine, ejuſdem Concilii ſtatuta conſiderans, legi Athanaſium Epiſcopum Alexandrinum Catbolicum, & Julium Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum nihilo minus Catholicum illo Concilio Sardicenſi fuiſſe improbatos. Unde apud nos conſtitit, Arianorum fuiſſe Concilium, quibus iſti Epiſcopi Catholici vehementiſſime reſiſtebant*. Et lib.3. contra Creſconium Donatiſtam cap. 34. sic habet: *Diſce, quod neſcis. Sardicenſe Concilium Arianorum fuit, quod notum jamdiu eſt, ut habemus in manibus, contractum maxime contra Athanaſium Epiſcopum Alexandrinum Catholicum, qui eorum errorem in ipſa Civitate exortum præ cæteris arguebat, & refellebat*.

CA-

CAPUT II.

Brevis Notitia Collectionis Decretalium Isidori Mercatoris.

TAM dire Febronius contra Isidori Decretales invehitur, ut graviora in illas congeri non posse maledicta videantur. Pauca delibemus. Cap. 8. sui Operis §. 1. statuit, *causam primariam lapsus disciplinæ, & alteratæ formæ Ecclesiasticæ esse fictas Isidori Decretales*, & approbat dictum Auctorum Historiæ Litterariæ Gall. to. 4. pag. 18., qui Isidori collectionem vocant, *Opus tenebrarum, quod deinde serviit non solum obscurandæ, sed & penitus evertendæ omni scientiæ Juris Canonici.* Eodem cap. §. 7. duo hæc sibi probanda proponit: *Excessiva Potestas, qua Romanus Pontifex post falsas Decretales uti cœpit, quaque hodiedum fruitur, Ecclesiæ valde noxia est: Eadem reunioni Ecclesiarum impedimentum ponit.* Tandem eodem cap., & §. num. 6. sic habet: *Si hæc vera sunt, sicuti ea esse a nemine historiarum, actorum, & negotiorum publicorum gnaro negari potest, per necessariam sequelam agnoscendum erit, unum Isidorum Mercatorem plus mali intulisse Ecclesiæ, quam Hæresiarchas simul omnes.* Cum itaque Febronius Romanarum Appellationum originem Sardicensi Concilio, *earum vero in infinitum extensionem, ex qua magnum disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum, justitiæque dispendium in hodiernum usque diem promanat* (Febronii verbis utor cap. 5. §. 6.) Isidori decretalibus tribuat; Operæ pretium erit, brevem Isidorianæ Collectionis præbere notitiam, ut quid de ea sentiendum sit, statuamus.

Circa finem octavi, & initium noni Sæculi in lucem prodiit Canonum, ac Decretalium collectio sub Isidori Mercatoris, seu Peccatoris nomine, quam ex Hispania perlatam Riculphus Moguntinus Episcopus in Gallia promulgavit, teste Hincmaro Rhemensi opusc. 55. contra Hincmarum Laudunensem Nepotem suum cap. 24. Hujus Collectionis Auctorem Hincmarus, Trithemius, aliique esse crediderunt S. Isidorum Episcopum Hispalensem, Virum doctrina, vitæque sanctitate celeberrimum. At perperam. Ea enim canones Conciliorum S. Isidori ætate posteriorum, & Decretales Pontificum, qui octavo Sæculo floruere, complectitur, cum Isidorus Hispalensis Sæculo obierit septimo, videlicet pridie Nonas Aprilis anno 636., uti Redemptus ejusdem Diaconus in ejus vita testatur. Alii cum Blondello Auctorem putant Isidorum, Eulogii Presbyteri Cordubensis fratrem, qui in Germaniam fugerat, ut Saracenorum crudelitatem evitaret. At hic etiam

antiquior fuit Isidorianæ collectionis Auctore. Alii illam tribuunt Isidoro Episcopo Setabiensi, duplici innixi Chronico, quorum primum editum fuit sub nomine Juliani Diaconi Toletani, alterum Luitprando tribuitur: in utroque autem controversæ collectionis Auctor esse dicitur Isidorus Setabiensis, qui nominatus fuit Peccator, uti refert Petrus de Marca lib. 3. cap. 5. Verum cum utrumque Chronicon dubiæ admodum fidei Eruditi Viri esse deprehenderint, teste Doviat lib. 3. cap. 11.; opinionem tam infirmo nixam fundamento rejicimus. Alium denique alii esse conjiciunt. Certum est, genuinum Auctorem ignorari.

Præter Conciliorum Canones, decretales Epistolas Isidorus refert Summorum Pontificum a S. Clemente I. usque ad Zachariam, qui obiit anno 752., suasque singulis adscribit non secus, ac veri essent eorum fœtus. Quamquam collectio ejusmodi, cum vulgata a Riculpho in Galliis fuit, summum sibi conciliasset obsequium; non pauci tamen earum epistolarum, quæ a S. Clemente usque ad Siricium recensentur, fidem revocare cœperunt in dubium, quod insertæ eædem non essent Canonum codici, quo Romana utebatur Ecclesia. Nam Sanctus Leo IV. in epist. ad Episcopos Angliæ (apud Labb. to. 8. Concil.) anno circiter 850. has tantum enumeravit regulas, quibus Apostolica Sedes in Ecclesiasticis utebatur judiciis, videlicet *Apostolorum*, *Nicænorum*, *Ancyranorum*, *Neocæsariensium*, *Gangrensium*, *Antiochensium*, *Laodicensium*, *Chalcedonensium*, *Sardicensium*, *Carthaginensium*, *Africanorum*, *& cum illis regulas Præsulum Romanorum*, *Silvestri*, *Siricii*, *Innocentii*, *Zosimi*, *Cælestini*, *Leonis*, *Gelasii*, *Symmachi*, *Hormisdæ*, *Simplicii*, *& Gregorii junioris*. *Isti omnes sunt*, *per quos judicant Episcopi*, *& per quos Episcopi simul*, *& Clerici judicantur*. Nullam hic antiquiorum Pontificum decretalem memorat Leo, sed a Siricio inchoat: *Silvestri* enim nomen fuisse additum contendit de Marca, cum illud in pluribus MSS. codicibus desideretur: Blondellus vero loco *Silvestri*, *Siricii &c.* legendum putat *scilicet Siricii*. Profecto Baronius tria in Vaticana Bibliotheca extare testatur vetusta exemplaria MSS. codicis, quo tempore S. Leonis IV. Romana Ecclesia utebatur; & alia tria in Monasterio Erbachensi extare, ait Joannes Vvendelstinus, in quorum singulis Epistolarum series a Siricio inchoatur. In codice quoque Canonum Ecclesiæ Romanæ edito Moguntiæ ann. 1525., qui ex tribus vetustissimis exemplaribus transcriptus est, decretales dumtaxat epistolæ a Siricio usque ad S. Gregorium Magnum exhibentur.

At

At ita mox decretalium istarum invaluit auctoritas, ut ab anno 900. usque ad 1400., nemo de illarum sinceritate in Occidente dubitaverit. Joannes quidem Vviclefus sæculo 14. docuit, *decretales Epistolas esse Apocryphas, & seducere a Christi Fide, & stultos esse Clericos, qui eis student*; quam propositionem sess. 8. Concilium Constantiense proscripsit. At is non modo Isidori epistolas in suppositionis suspicionem vocare, sed omnium prorsus decretalium auctoritatem evertere contendebat. Primus omnium Nicolaus Cardinalis Cusanus medio fere sæculo 15. illarum epistolarum suppositionem indicavit in suo opere de concordantia catholica lib. 2. cap. 34., & lib. 3. cap. 2. At sæculo 16. non modo Magdeburgenses Centuriatores, sed plurimi etiam Catholici eas esse genuinas negarunt. Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 14. ait: *Indubitatas esse illas priscorum Pontificum epistolas affirmare non ausim*. Cardinalis Baronius ad ann. 865, num. 8. deprehensam jam esse earum suppositionem affirmavit: *Ex multis*, inquit, *eas reddi suspectas epistolas per ea, quæ dicta sunt 2. Annalium tomo, dum de singulis mentio facta est, satis est demonstratum, simulque ostensum, illis non indigere Sanctam Romanam Ecclesiam, ut si falsitatis arguantur, suis ipsa destituatur juribus, & privilegiis, cum, etsi illis careat, ex legitimis, germanisque aliorum Romanorum Pontificum epistolis decretalibus satis, superque corroborata consistat*. Tandem Petrus de Marca, Antonius Augustinus, Stephanus Balutius, Jacobus Sirmondus, Dionysius Petavius, Christianus Lupus, Daniel Papebrochius, Natalis Alexander, uterque Pagius, Petrus Coutantius, aliique plurimi eas Romanis Pontificibus, quorum nomina præseferunt, abjudicandas esse docuerunt, itaut mirum videatur, Turrianum, Binium, aliosque paucos, doctos cæteroqui Viros, illas vindicandas suscepisse.

Hæc autem præcipua sunt argumenta, quibus eas esse supposititias evincunt. 1. quia illæ Scripturam Sacram usurpant secundum vulgatam versionem a S. Hieronymo adornatam, adeoque multo recentiorem iis Pontificibus, qui eas scripsisse dicuntur. 2. quia nullus ante sæculum nonum Ecclesiasticus Scriptor earum meminit, ne ipse quidem Dionysius Exiguus, qui tamen omnem se diligentiam in decretalibus Romanorum Pontificum epistolis conquirendis adhibuisse professus est. III. quia earum materia primis Ecclesiæ sæculis, quibus conscriptæ perhibentur, minime congruit. IV. quia eas ex posteriorum Pontificum, SS. PP., & Conciliorum dictis conflatas esse constat. V. quia falsis pleræque temporum,

rum, & Consulatuum consignatæ sunt notis. VI. quia è styli similitudine, eodemque scribendi charactere ab uno eas omnes Auctore fuisse confictas patet. VII. quia barbarus est eorum sermo, & ab elegantia sæculi, quo datæ supponuntur, alienus. VIII. quia innumeri in iis occurrunt Antichronismi, uti ostendit Dovjat in Prænot. lib. 2. cap. 22.

Quo consilio has Epistolas Auctor exaraverit, ac priscis supposuerit Pontificibus, ignoramus, ac tempus terere divinando nolumus. Ejus consilium certe non fuit illud, quod parum æqui Pontificiæ jurisdictionis æstimatores jactitant, videlicet ut suppostitiis monumentis auctoritatem Apostolicæ Sedis augeret, novumque in Ecclesiam inveheret ordinem judiciorum. Ab his Criticorum dicteriis Isidorum optime vindicavit Cardinalis de Aguirre in dissert. Eccles. ad Collect. Isidori tom. 1. Concil. Hispan., ubi ex indubiis SS. Siricii, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Cœlestini, Leonis, aliorumque Pontificum decretalibus ostendit, illa Apostolicæ Sedis jura, quæ ab Isidoro inducta fuisse dictitant, per plura ante Isidorum sæcula viguisse. Blondellus ipse in libro, cui titulus *Pseudo-Isidorus, & Turrianus vapulantes*, spurias esse Isidori merces ostendens, quæcumque ad Ecclesiæ Romanæ auctoritatem in Isidori epistolis faciunt; ea fere omnia jamdiu, si non iisdem Pontificibus, quibus epistolas tribuit Isidorus, aliis saltem, ac præterea Conciliis, Patribus, & antiquis Ecclesiasticis optimæ plerumque notæ Scriptoribus placuisse ostendit. In eo denique Catholici Scriptores conveniunt, ut ex posteriorum Pontificum, Conciliorum, Patrum, Scriptorumque verbis, ac sententiis Isidori epistolas esse conflatas fateantur.

Et sane multa passim in iis occurrunt desumpta ex S. Siricio, S. Innocentio I., S. Zosimo, aliisque Pontificibus usque ad S. Hormisdam: multa ex Vigilio, S. Gregorio Magno, S. Agathone, SS. Gregorio II., & III., & S. Zacharia, qui obiit anno 752.: multa ex omnium fere regionum Conciliis, Constantinopolitano I., Chalcedonensi, Romanis Synodis sub S. Hilaro, S. Felice II., S. Simmacho, S. Martino I., & S. Gregorio II., Carthaginensibus I., II., III., IV., V., VI., & VII., Milevitano I., Agathensi, Aurelianensi V., Parisiensi III., & VI. habito anno 829., Hispalensi II., & Toletanis VI., VIII., X., & XI. Plurimæ quoque in iis habentur iisdem verbis sententiæ SS. Patrum, aliorumque optimæ notæ Scriptorum, idest Ambrosii, Hieronymi, Rufini, Augustini, Procli, Prosperi, Juliani Pomerii, Itha-

Ithacii Clari, seu Vigilii Tapsensis, Benedicti Cassiodori, Ennodii, Venantii Fortunati, Stephani Dorensis Episcopi, Victorii Carthaginensis, Sergii Cypri, Deusdedit Calaritani in Sardinia, & Bonifacii Moguntini. Nonnulla tandem in iis extant ex Theodosii, & ex Justiniani codice decerpta. Quare optime Cardinalis Bona lib. 1. rer. Liturgic. cap. 3. inquit, supposititias Pontificum usque ad Siricium Decretales, *ex sententiis veterum Canonum, Legum etiam Civilium, & SS. Patrum, qui quarto, & quinto sæculo floruerunt, magna ex parte esse contextas*.

Cum ex his fontibus Isidori Epistolæ haustæ fuerint, nihil derivatum in illas fuit, quod aut dogmatum veritati, aut integritati morum, aut recto judiciorum ordini repugnaret. Hinc mirum non est, eas totius Occidentalis Ecclesiæ usu per plura sæcula fuisse consecratas, a Romanis Pontificibus, Conciliis, ac Doctoribus citari, ac laudari consuevisse, doctisque Commentariis a plurimis Juris Canonicis Interpretibus fuisse illustratas. Laudati enim Auctores, uti sapienter monet Natalis Alexander dissert. 21. ad sæcul. 1. „ varia ex veterum Pontificum „ epistolis decreta laudarunt, quia usu receptæ erant in Ecclesia, & ab „ Apostolica Sede probatæ erant; non quod illas a Sanctis Pontificibus „ datas censerent..... sed quia illas quoad dogmatum veritatem, & „ quoad judiciorum ordinem ab Ecclesia receptas noverant, quorum- „ cumque Auctorum essent „. Optimo proinde jure adversus Blondellum, qui in Isidori Epistolarum suppositione detegenda non parcit injuriis, scripsit Petrus de Marca lib. 3. concord. cap. 5. num. 1.: *In eo suffragari non possum, quod atrocioribus verbis epistolas dilacerat, quas è sententiis, & verbis Legum, Canonum antiquorum, & SS. Patrum, qui quarto, & quinto sæculo floruerunt, si pauca demas, concinnatas esse constat*.

Quid ergo de Febronio dicemus, qui innumeris adversus Isidorum contumeliis opus refersit suum, unumque Isidorum plus mali, quam Hæresiarchas simul omnes, Ecclesiæ intulisse affirmavit? Quis sanæ mentis id credat? Mala, quæ Hæresiarchæ intulerunt Ecclesiæ, sunt dogmatum falsitas, morum corruptio, perversio judiciorum, populorum perturbatio, seditiones civium, perduelliones, bella, sacrilegia, cædes, rapinæ, incendia, aliaque hujusmodi, per quæ humanæ, divinæque leges impudentissime conculcantur, uti videri potest apud Maimburgum in Historia Arianismi, Lutheranismi, Calvinismi, Iconoclastarum &c. At quid horum insinuant, aut in Ecclesiam invexere Isidorianæ Decretales? Profecto nihil: doctrinam, quam continent,

ac

ac insinuant, quoad dogmatum veritatem, puritatem morum, ac judiciorum ordinem a quarto, & quinto Christi sæculo ab Ecclesia esse receptam, & constantissime conservatam, fatentur Cardinalis Bona, Petrus de Marca, & Natalis Alexander, quorum fides Febronio suspecta esse non potest. Imo Febronius ipse cap. 8. sui operis §. 4. num. 2. proferens Papebrochii verba in Propilæo Mensis Maii, quibus hìc Auctor sub Nicolao I. narrans falsarum decretalium auctoritatem fuisse a Summis Pontificibus approbatam, subdit; „ eos quidem nihil approbasse „ a fide, aut moribus Ecclesiæ abhorrens, in eo tamen, quod facti „ erat, & historiæ, omnino errasse, sed citra culpam &c. „ sic ait: „ Quod hìc de Fide memorat Papebrochius, verum teneo: quod de „ moribus Ecclesiæ addit, peræque constat respectu illorum tempo„rum, quibus hi Pontifices spurios Isidori partus, qui jam adoleve„rant, laudantes, & sollicite nutrientes vixere. Plus dico: Pontifices „ auctoritatem suam taliter firmatam videntes, ut nemo ei contradi„cere præsumeret, se ad eam modis omnibus tuendam in conscien„tia obligatos credidisse. Quod denique eos in historia errasse affir„mat, itidem ingenue monet Papebrochius, qui hìc Historici, & „ Critici vices agit. Sed patietur a Jurisconsulto addi, illos non minus „ errasse in Jure, & Ecclesiastica disciplina. Si autem propter erro„rem communem excusari mereantur Pontifices, non poterit tamen „ error ille jam agnitus pro Jure allegari.

In adducto textu duo Febronius affirmat, quæ sunt omnino falsa. Primo enim Ecclesiæ mores ad ea restringit tempora, quibus Isidori partus jam adoleverant. At etiam, antequam Isidori Decretales ederentur in lucem, & tamquam legitimæ exciperentur, pleraque moribus recepta erant in Ecclesia, præsertim quoad supremam Romani Pontificis auctoritatem, & jurisdictionem, uti patet ex S. Leone Magno, & S. Gelasio, qui Ecclesiæ sæculo quinto, S. Nicolao I., qui sexto, & SS. Patribus, qui quarto, & quinto floruerunt. Porro Isidorus suas Decretales ex iis conflavit, quæ usu recepta vidit in Ecclesia, a Summis Pontificibus probata, a Conciliis definita, & a SS. Patribus commendata, uti superius vidimus, ac solum, ut iisdem majus auctoritatis pondus adderet, eas antiquis primorum sæculorum Pontificibus attribuit. Deinde contendit Febronius, Romanos Pontifices errasse in Jure, & Ecclesiastica Disciplina, errorem que hunc jam agnitum non posse amplius pro Jure allegari. At Romani Pontifices neque errarunt in Jure, neque

jus

jus agnitum falsum pro Jure allegarunt. Cum enim de eorumdem Romanorum Pontificum juribus, ac privilegiis Febronius loquatur; ea profecto non sibi Pontifices tribuerunt vi decretalium Isidori, sed vi Primatus auctoritatis, ac jurisdictionis, quam in universa Ecclesia constanter exercuerunt. Ego quidem non Isidori Decretalibus, sed certissimis argumentis utar, ut ostendam, tum ante Sardicense Concilium, tum ante Isidoriani operis editionem penes Romanos Pontifices fuisse semper jus recipiendarum ex omnibus Orbis partibus appellationum. Idem quoad alia jura Catholici Doctores præstitere.

Quamquam supposititiæ fere omnes sint Pontificiæ a S. Clemente ad S. Siricium Decretales, quas collectioni suæ Isidorus inseruit; non proinde dicendum est, aut nullas priscos illos Pontifices Epistolas conscripsisse, aut omnes, quotquot scripserunt, interiisse. Certum enim est plures ab iis fuisse conscriptas. Nam S. Victoris I. epistolæ de tempore celebrandi Pascha indicantur ab Eusebio lib. 5. cap. 23. Plures S. Cornelii Litteræ memorantur a S. Hieronymo lib. de viris illustribus cap. 76., & ab Eusebio lib. 6. cap. 46. Epistolam S. Soteris ad Corinthios memorat S. Dionysius Corinthiorum Episcopus apud Eusebium lib. 4. cap. 23. Litterarum S. Fabiani meminit S. Cyprianus epist. 55., & litterarum S. Lucii epist. 67. Certum quoque est, alias ex his epistolis integras, aliarum vero fragmenta a SS. Patribus, aut a vetustis Ecclesiasticæ Historiæ Scriptoribus referri, quibus proinde fides denegari prudenter nequit. Ex epistolis per tria priora sæcula conscriptis solæ quatuor integræ, aliarum vero quatuor fragmenta dumtaxat supersunt. Ex iis autem, quæ sæculo quarto usque ad S. Siricium, idest ad annum 384. scriptæ sunt, duæ extant, quas S. Julius I., duodecim, quas Liberius, & octo, quas S. Damasus exaravit.

Epistolæ trium priorum sæculorum sunt hæ. 1. epistola S. Clementis I. ad Corinthios, quam laudant S. Irenæus lib. 3. adversus hæreses cap. 3., Origenes lib. 2. de principiis cap. 3., S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat., Eusebius lib. 3. cap. 16., S. Cyrillus Hierosolym. catech. 18., S. Epiphanius hæres. 27. num. 6., S. Hieronymus in Catalog. Scriptor; & lib. 14. Commen. in 52. Isaiæ, & Photius in Bibliotheca cod. 113. Hanc latine redditam publici juris fecit anno 1633. Patricius Junius, qui ex vetustissimo Codice MSS. Bibliothecæ Regis Angliæ eamdem transcripsit. Creditur hic Codex sæculo quarto circa Concilii Nicæni I. tempora manu Theclæ nobilis fœminæ Ægyptiæ

fuisse

fuisse exaratus. Illum Carolo I. Angliæ Regi dono dedit Cyrillus Lucaris Patriarcha Constantinopolitanus. 2. tres S. Cornelii epistolæ, quarum duæ ad S. Cyprianum inter ejusdem Cypriani epistolas extant, tertia ad Fabium Antiochenum Episcopum refertur ab Eusebio lib. 6. cap. 43. 3. duo fragmenta epistolarum S. Stephani I., quorum alterum refert S. Dionysius Episcopus Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. cap. 5., alterum extat apud S. Cyprianum epist. 74. erutum ex litteris, quas ad ipsum S. Stephanus dedit. 4. fragmentum epistolæ S. Dionysii Papæ adversus Sabellianos, quod refert S. Athanasius in epist. de decretis Nicænæ Synodi. 5. fragmentum epistolæ S. Felicis I. ad Maximum Alexandrinum Episcopum, quod inter SS. Patrum testimonia laudatur in actione Concilii Ephesini.

Epistolæ Pontificum quarti sæculi usque ad S. Siricium deperditæ sunt fere omnes, & vix trium Pontificum supersunt aliquæ. Sunt autem hæ. 1. duæ S. Julii I., altera ad Eusebianos, altera ad Clerum, Populumque Alexandrinum. Priorem describit S. Athanasius in apolog. 2. contra Arianos, posteriorem refert Socrates lib. 2. cap. 23., & ex eo latinam reddidit Epiphanius Scholasticus Historiæ Tripartitæ lib. 47. cap. 29. 2. duodecim Liberii epistolæ. Ex his septem extant inter S. Hilarii fragmenta, videlicet ad Hosium Cordubensem Episcopum, ad Constantium Imperatorem, ad Orientales, ad Ursacium, & Valentem, ad Vincentium Capuanum Episcopum, ad Episcopos Italiæ, ac tandem ad Cæcilianum Episcopum Spoletinum; quatuor datæ ad Eusebium Vercellensem Episcopum extabant in Vercellensis Ecclesiæ Tabulario, & editæ in lucem sunt a Cardinali Baronio; duodecima tandem ad Orientis Episcopos refertur a Socrate lib. 4. cap. 12. Aliæ Liberii epistolæ interierunt, inter quas recensenda est Decretalis illa, quam per Provincias misit, & cujus meminit S. Siricius in epist. ad Himerium Episcopum Tarraconensem. 3. octo S. Damasi epistolæ, è quibus quatuor edidit Lucas Holstenius in collectione Romana bipartita, nimirum ad Orientales, ad Paulinum Episcopum Antiochenum, & duas ad Acholium Episcopum Thessalonicensem; duas ad S. Hieronymum vetusti Scriptores inter Sancti Hieronymi epistolas retulerunt; duas tandem ex Theodoreto Græcas, ex Epiphanio Scholastico latinas accepimus, alteram videlicet ad Episcopos Illyrici apud Theodoretum lib. 2. cap. 22., & apud Epiphanium Scholasticum lib. 5. cap. 29., alteram contra Apollinarium, & Timotheum apud Theodoretum lib. 5.

lib.5. cap.10., & apud Epiphanium Scholasticum lib.9. cap.15. Aliæ plures, quibus S. Damasus *Orientis*, *atque Occidentis* Siynodicis Consultationibus respondit, & in quibus scribendis S. Hieronymi opera usus est, interciderunt.

Ex dictis patet 1. Decretales a S. Clemente ad S. Siricium Isidorianæ collectioni insertas, esse plerasque iis Pontificibus, quibus tribuuntur, abjudicandas. 2. nihil eas continere, quod aut dogmatum veritati, aut puritati morum, aut recto judiciorum ordini, quo multo ante editas Isidori Decretales Ecclesia utebatur, adversetur, adeoque non esse contumeliis, & maledictis onerandas. 3. verissima esse Romani Pontificis jura, ac privilegia, quæ in iis decretalibus continentur, eademque non ex iis decretalibus, sed ex genuinis Romanorum Pontificum epistolis, aliisque invictis monumentis a Catholicis Doctoribus comprobari.

CAPUT III.

Utrum Episcoporum Synodus, aut Presbyterorum Concilium, quod a Romanis Pontificibus in gravibus quibusdam causis dijudicandis, ac definiendis cogebatur, ex defectu auctoritatis, ac potestatis in Pontifice, an ex prudentiæ Evangelicæ consilio cogeretur?

Romani Pontifices, uti notat Petrus Coutantius in præfat. gener. ad Epist. Rom. Pontif. num.33., ne vel ex præconcepta opinione, vel ex præcipiti animo graviora Ecclesiarum negotia expedire viderentur; nihil inconsulto aut Presbyterorum Collegio, aut Episcoporum Concilio decernere consueverunt, Apostolorum Principem Petrum imitati, qui excitatam de Circumcisione controversiam, nonnisi Apostolis, ac Presbyteris Hierosolymam accersitis, auditoque eorum suffragio, diremit. Ecclesiæ Romanæ Clerum præ cæteris, utpote locupletiorem Apostolicæ traditionis testem, sive in causis dijudicandis, sive in Decretalibus conscribendis in consilium adhibuere; qui mos ad nostra hæc usque tempora constanter permansit, ac perseverat, cum in gravioribus negotiis consilium Pontifex a Cardinalibus exquirat, è quibus Romanus Clerus constituitur. Sic S. Clemens I. ex Cleri Romani consilio epistolam ad Corinthios exaravit, eamque proinde Romanæ Ecclesiæ nomine insignivit. S. Zephyrinus, uti refert antiquus Auctor libri adversus Artemonem, nonnisi audita Cleri sui sententia, Natalem Confessorem ab hæresi reversum ad Communionem admisit. S. Pontianus,

nus, ut in Origenem inquireret, *Senatum* ideſt, Clerum congregavit, teſte S. Hieronymo apud Rufinum lib.2. S. Cornelius in epiſt.6. ſe a Novatiano ſchiſmate reduces, *contracto Presbyterio*, recepiſſe teſtatur, ſacrorumque reſtituiſſe conſortio. S. Fabianus, uti refert S. Cornelius epiſt.9., ex Cleri, Populique conſenſu Novatianum cooptavit in Clerum, & S.Dionyſius Papa, uti perhibet S.Athanaſius lib. de Synod., ex Synodi ſententia litteras ad S. Dionyſium Alexandrinum dedit. Ex Epiſcoporum Italiæ ſuffragio Euſebianis reſcripſit S. Julius I., & S. Damaſus ex Romanæ Synodi ſententia decretalem illam ad Orientis Epiſcopos epiſtolam dedit, de qua redibit ſermo. Innumera alia ejuſmodi exempla brevitatis gratia lubens prætermitto.

Prudentiſſimam hanc agendi rationem male interpretantes Tillemontius, Launojus, Dupinius, aliique pauci docuere, neceſſarium ſemper fuiſſe Synodorum conſenſum, ut Apoſtolicæ Sedis auctoritas in controverſiis dirimendis ſuum habeat robur, ac firmitatem. At hæc antiqua eſt fabula, quam omnium primi contexuerunt Euſebiani, & Acaciani, cum illi adverſus S. Julium I., hi adverſus S. Felicem III. conquererentur, eorum cauſam non fuiſſe in Synodo pertractatam. Reſponſum illis fuit, Orientalium cauſarum judicium non ad Romanum Clerum, ſeu ad Italiæ Epiſcopos, ſed ad unum Romanum Pontificem pertinere. Is enim ſupremam habens in omnes Eccleſias juriſdictionem, ſollicitudinem gerit omnium Eccleſiarum. Eadem adverſus citatos Auctores adhibenda eſt reſponſio. Suprema in Eccleſia auctoritas, ac juriſdictio non particularibus Epiſcoporum Synodis, aut Presbyterorum Collegio, ſed Romano Pontifici a Chriſto fuit demandata. Hinc optime inquit S. Damaſus anno 381., aut 382. in epiſt. ad Concil. Conſtantinopol. I. apud Theodoretum lib.1. cap.10. *Quod veſtra charitas debitam Sedi Apoſtolicæ reverentiam tribuit, Filii honoratiſſimi, vobis quoque maximo ſane honori eſt . . . . Nam in Sancta Eccleſia, in qua S. Apoſtolus ſedens nos docuit, quo pacto illius gubernacula, quæ ſuſcepimus, tractanda ſunt, nobis primæ partes deferuntur.* Sed audiamus, quid hac de re Synodi ipſæ ſenſerint, quas Romani Pontifices ad cauſas dirimendas cogebant.

Romana Synodus ſub S.Damaſo in epiſt. ad Illyricos aperte profitetur, penes unum Summum Pontificem integram ſtare rei Chriſtianæ ſummam, ac proinde amplecti ſe dicit ea, quæ a S. Damaſo fuerant conſtituta. Synodus Romana ſub S. Hilaro anno 465. can.1. dicit:

cit: *Nulli fas sit sine status sui periculo vel divinas Constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare*; & cum Hilarus Synodo proposuisset Episcoporum Hispanorum preces pro Irenæo, quem Nundinarius sibi in Ecclesia Barcinonensi successorem designaverat, & eorumdem querelas contra Silvanum Calaguritanum Episcopum, qui indebitas usurpaverat ordinationes, respondit Synodus: *Auctoritate vestra resistite huic rei per Apostolatum vestrum ..... Ordinatio Apostolica illibata servetur*. Romana Synodus dicta *Palmaris* sub S. Symmacho anno 501. hæc de Romani Pontificis potestate fatetur: *Scientes, quia ejus Sedi primum Petri Apostoli meritum, vel Principatus, deinde secuta jussionem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas, ei singularem in Ecclesiis tradidit potestatem, nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subjacuisse judicio*. In Romana Synodo sub Bonifacio II. anno 351. lectus, approbatusque fuit supplex libellus Stephani Larissensis Metropolitæ, in quo hæc præ cæteris habentur: *Dixi, quia auctoritas Sedis Apostolicæ, quæ a Deo, & Salvatore nostro Summo Apostolorum data est, omnibus Sanctarum Ecclesiarum privilegiis antecellit, in cujus confessione omnes Mundi requiescunt Ecclesiæ*. In Synodo Romana sub Joanne VIII. anno 877. Romana Ecclesia semper Ecclesiarum Magistra, Mater, & Caput nuncupatur, collectique in eadem Synodo Episcopi iis omnibus, quæ Pontifex decernenda proposuit, hoc unum dedere responsum: *Placet, & valde placet in omnibus vestra sanctissima sectari vestigia; neque fas est, ut a Culmine Apostolatus vestri in aliquo dissentiamus, quem videlicet ipse Christus Dominus noster omnium nostrum ad vicem suam in terris esse voluit Caput*. Ne infinitus sim, alia plurima ejusmodi testimonia prætermitto.

Jam vero cum Sanctissimus Apostolorum Princeps Petrus, uti ex S. Damaso audivimus, Romanum docuerit Pontificem, quo pacto Sanctæ Ecclesiæ gubernacula, quæ tenet, tractanda sint, eique proinde primæ in Ecclesia partes deferantur; Cum penes unum Pontificem integra stet rei Christianæ summa, & illibata servanda sit Apostolica Ordinatio; Cum Caput sit omnium, & non Sacerdotibus, seu Episcopis, sed Apostolo Petro Christus dixerit: *tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ..... & tu conversus aliquando confirma fratres tuos*; Cum denique singularem Dominus Romano Pontifici in Ecclesiis tradiderit potestatem, eumque minorum judicio subjacere nolit, uti ex allatis Synodorum testimoniis constat; Quis non statim intelligat, Episcopos, Romanæque Ecclesiæ Presbyteros in consilium dum-

dumtaxat a Romanis Pontificibus acciri consuevisse, ut in negotiis expediendis Christiana uterentur prudentia, non ut Pontificiis decretis a Synodi sententia aut firmior, aut amplior adderetur auctoritas? Accedit huc, quod Decretales aliquas, in quibus graviores controversias Pontifices diremerunt, sine prævia Synodi sententia editas fuisse vero simillimum est, tum quia hanc non habent notam, tum quia de præhabita Synodo nullum historicum extat monumentum. Imo Decretales in Synodis editæ uni Romano Pontifici acceptæ referuntur. Sic S. Melchiadi damnationem Donatistarum S. Optatus, & S. Augustinus; S. Innocentio I. sententiam adversus Pelagium, Cœlestiumque latam Africani Episcopi in epist. ad S. Zosimum; S. Zosimo tractoriam adversus Pelagianos Marius Mercator; & S. Liberio epistolam 15. ad Orientales S. Basilius epist. 74., & Socrates lib. 4. cap. 12., referunt acceptas. Tandem S. Gelasius, S. Gregorius Magnus, aliique Pontifices cuncta a se in Synodis propria auctoritate fuisse constituta affirmant; Contra vero S. Petrus Chrysologus in epist. ad Eutichetem nihil sine Romani Pontificis conscientia, & auctoritate fieri in Synodis ab Episcopis posse professus est.

CAPUT IV.

An ante Sardicensem Synodum delatæ ad Romanum Pontificem fuerint, ab eoque exceptæ e variis Mundi partibus appellationes?

CUM jus recipiendarum ab omnibus Mundi partibus appellationum esse velit Febronius privilegium adjectitium, Romanoque Pontifici concessum a Sardicensi Synodo, quæ novum quid, & antea insuetum introduxit; Contendit proinde, nullas ante Sardicensem Synodum ad Romanum Pontificem fuisse delatas appellationes, nullasque ab eo causas per se, vel per alios iterum fuisse discussas. Si ergo ex certis monumentis ostendam, ante Sardicensem Synodum e variis Mundi partibus ad Romanum Pontificem appellari consuevisse; Causa cadet Febronius, qui eripere eidem curat nobilissimum illud jus, quod supremæ ejusdem in totam Ecclesiam jurisdictioni innatum esse Catholici Doctores affirmant. Antequam ejusmodi proferam monumenta, revocandum est in Lectoris memoriam, Sardicensem Synodum anno Christi 347. fuisse celebratam. Hæc autem sunt, quæ seligo, Roma-

manarum ante Sardicensem Synodum appellationum exempla. 1. Marcionis. 2. Montani, Floriani, Blasti, aliorumque, quos Cataphrygas nuncupabant. 3. Privati Lambesitani. 4. Novati. 5. Fortunati, Felicissimi, & quatuor Africanæ Ecclesiæ Presbyterorum. 6. Basilidis Asturicensis, & Martialis Emeritensis. 7. Cæciliani Carthaginensis Episcopi. 8. S. Athanasii. 9. Pauli Episcopi Constantinopolitani. 10. Asclepæ Gazensis, & Lucii Adrianopolitani. 11. Marcelli Ancyrani. 12. Ursacii, & Valentis.

Hi omnes, exceptis Valente, & Ursacio, ante Sardicensem Synodum ad Romanum Pontificem ex variis cum Occidentis, tum Orientis partibus appellarunt, eorumque causa in gradu appellationis, ut ajunt, cognita ab eodem est, ac definita. Quod verum etiam est de iis omnibus, quos ad S. Julium I. provocasse dicimus: Eorum enim omnium causam Julius ipse in gradu appellationis judicavit, quamquam postea ad retundendam Hæreticorum audaciam ejusdem revisionem Sardicensi commisit Synodo, quæ Pontificis sententiam plenissime confirmavit. Tot, ac tam perspicua Romanarum Appellationum exempla singillatim exponamus, & authenticis documentis confirmemus.

CAPUT V.

Marcionis ad Apostolicam Sedem appellatio.

MArcio, teste S. Epiphanio hæresi 42., Sinopensis Ecclesiæ Presbyter, cum propter fornicationem a parente suo Episcopo Sinopensi deturbatus a Fidelium communione, ac Presbyteratus gradu fuisset, pœnitentiam ab eo, quamquam diu, multumque supplicasset, obtinere non potuit. Quamobrem ad Romanum Pontificem provocavit, seseque Romam contulit, quo tamen nonnisi post Hygini mortem (idest post annum 141.) cum Apostolica vacaret Sedes, pervenit. Confestim Seniores (videlicet Clerum) qui ab Apostolorum Discipulis edocti adhuc supererant, adiit, & ut in communionem reciperetur, postulavit. Negarunt hi ajentes: *Nobis injussu venerandi Patris tui facere istud non licet. Una siquidem fides est, & animorum una consensio, neque contra Spectatissimum Collegam Patrem tuum moliri quidpiam possumus.* Tunc iratus ille *Ecclesiam vestram*, inquit, *ego dissociabo, ac in ea schisma sempiternum immittam.* Cerdoni proinde adhærens

rens (qui, uti perhibent S. Irenæus lib. 1. cap. 17., & S. Cyprianus epist. 74. ad Pompejum, sub Hygino Romam venerat) ejusdem errores disseminavit, ac per annos plures Romæ commoratus plurimos decepit, uti patet ex S. Hieronymo, qui in Ecclesiasticorum Scriptorum Catalogo de S. Polycarpo loquens ait: *Polycarpus, Ecclesiam in Urbe regente Aniceto, Romam venit, ubi plurimos credentium Marcionis persuasione deceptos reduxit ad Fidem, cumque ei fortuito obviamfuisset Marcio, & diceret, cognoscis nos? respondit: cognosco primogenitum Diaboli*. Pluries ad pœnitentiam venit, sed pluries relapsus est, donec tandem constanter pœnitens, ab Eleuthero Papa (qui ab anno 170. ad 185. Romanam gubernavit Ecclesiam) Sacramentalis pacis, seu reconciliationis gratiam sub ea conditione recepit, ut a se deceptos Ecclesiæ restitueret; quam tamen explere conditionem morte præreptus non potuit, uti narrat Tertullianus in lib. præscriptionum cap. 30.

Ex his constat 1. jam inde a secundo Ecclesiæ sæculo Clericos etiam Orientales, cujusmodi erat Marcio, prætermissis Metropolitano, Exarcho, & Patriarcha, a suorum Episcoporum judiciis ad Apostolicam Sedem appellasse, Romamque venisse. 2. cum in Marcionis adventu Romana vacaret Ecclesia, & a Presbyteris administraretur, qui ab Apostolorum discipulis, quibuscum vixerant, Ecclesiasticam didicerant disciplinam; satis patet, Romanarum appellationum usum ex Apostolica traditione, doctrinaque derivari. 3. cum Clerus Romanus Marcionis Patrem nuncupaverit *Spectatissimum Virum*, credibile est, illum Romanæ fuisse notum Ecclesiæ, ac proinde eam de suo in filium judicio, ac de ejus appellatione, & fuga fecisse certiorem, uti prudenter conjicit Christianus Lupus: nullibi tamen vel minima extat ejusdem de hac appellatione querela. 4. tantam olim fuisse constat Ecclesiæ Romanæ apud alias Ecclesias etiam Orientales venerationem, ut hæ ad illam etiam Pastore viduatam appellationes transmitterent, quas Romanus Clerus definiret, uti ex hoc Marcionis exemplo patet, & exemplo Privati, quod inferius referemus.

At enim cur Sinopensis Episcopus filio suo pœnitentiam postulanti denegavit? Cur Clerus Romanus Marcionis preces rejecit? Respondeo hanc fuisse causam. Usque ad Zephyrini Pontificatum is in Ecclesia viguit rigor disciplinæ, ut si quis idololatriæ, aut homicidii, aut mœchiæ publice reus esset, ad perpetuam totius vitæ pœnitentiam adigeretur, quin umquam ad perfectam in externo Ecclesiæ foro, publi-

blicamque reconciliationem, & pacem rediret, pristinaque omnia jura recuperaret. Rigorem hunc temperavit S. Zephyrinus, de quo Tertullianus, in Montani hæresim iam lapsus, sic scribit in lib. de pudicitia cap. 1. *Pontifex Maximus, Episcopus Episcoporum edicit: Ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*. Cum itaque sexagesimo fere anno ante Zephyrini Pontificatum fornicationis crimen Marcio admisisset, propter vigentem adhuc rigorem disciplinæ, filio certam ad tempus pœnitentiam, qua peracta perfectam in Ecclesia reconciliationem, & pacem obtineret, suumque in gradum reverteretur, negavit Pater, & Patris sententiam Romanus Clerus confirmavit.

At reponit Paschasius Quesnellus in Commentariis in S. Leonis Opera. Non propter disciplinæ rigorem, sed propter defectum potestatis Romanus Clerus Marcioni dixit: *Nobis injussu Venerandi Patris tui facere istud non licet, neque contra spectatissimum Collegam Patrem tuum moliri quidquam possumus*. Hæc enim verba indicant, quod si Sinopensis Episcopus jussisset, illud sane licuisset; quod certe cum illius disciplinæ rigore componi nequit. Dicendum ergo, Romanum Clerum absolute non potuisse contra Sinopensis Episcopi sententiam quidquam agere propter defectum potestatis: *inconcussam enim auctoritatem habet qualibet Synodus, & contumeliosè agitur cum Judice, cujus judicium ab aliis examinatur*. Resp. 1. ea, quæ objiciuntur, esse Eusebianæ factionis deliria, ab Antiochena Pseudo-Synodo ad S. Julium scripta, & propter quæ Philippopolitanum Conciliabulum S. Julium, & S. Maximinum Trevirensem Episcopum de gradu suo inaudita temeritate dejecit: Imo pejora esse, quia Eusebiani in Synodalia tantum Patriarcharum judicia, Quesnellus vero, ejusque Asseclæ in Provincialium etiam Synodorum decreta Romano Pontifici abnegant auctoritatem. Resp. 2. merito Romanum Clerum dixisse: *nobis non licet, non possumus*: quia cum in Sinopensi, tum in Romana Ecclesia disciplinæ rigor, quem diximus, servabatur, ac nondum electus Pontifex fuerat, qui rigorem disciplinæ suprema auctoritate leniret, quemadmodum cum ipso Marcione factum postmodum fuit: Resp. 3. aliud est inferioris judicium a Superiore retractari, ac discuti, aliud ejusdem sententiam, quæ justa sit, a Superiore tamquam injustam circumscribi. Hoc secundum fieri non licet, secus vero primum, nisi appellationem omnem tamquam illicitam eliminare velimus; quod nemo dixerit. Jam vero Marcio ad Apostolicam Sedem non appellavit, ut parentis sui sententia tamquam

injusta revocaretur, neque in gradum, & communionem reparari petiit per justitiam, sed per gratiam. Duplex enim est lapsi reparandi forma, altera per justitiam, altera per dispensationis gratiam. Hanc secundam Marcio postulavit, non primam: cum autem utramque posset pro suprema sua auctoritate Romanus Pontifex exercere, ad eum proinde confugit: At nullam Supremus Judex injuriam infert inferiori, siquem ab eo juste damnatum per gratiam reparet dispensationis. Hanc vero gratiam Marcio a Romano Clero non impetravit, quia erat ex majoribus Romano Pontifici reservatis, præsertim cum non modo Ecclesiasticæ communionis, & Presbyteralis honoris restitutionem, sed etiam tamquam Presbyterum in Ecclesia Romana collocari postularet. Sic enim loco cit. scribit S. Epiphanius: *Quamobrem stimulatus invidia, quod non principem illic locum, ac ne Ecclesiæ quidem aditum impetrasset &c.*, ubi nomine *principis loci* Presbyteralis honor intelligitur, cum Presbyteri, uti Principes, ac Senatores Ecclesiæ, Episcopo suo assiderent. At Apostolicus Canon alienum Clericum sine proprii Episcopi consensu ab alio Episcopo in Ecclesia sua incardinari vetabat. Quare Cleri Romani verba ad Marcionem hunc sensum habuere. *Nec justissimam tui Patris de te sententiam circumscribere, nec te, quamquam innocens esses, in nostrum cardinem sine ejus consensu possumus admittere.*

CAPUT VI.

Montani, Floriani, Blasti, aliorumque ad Apostolicam Sedem Appellatio.

MOntanus, Florianus, Blastus, aliique, quos Cataphrygas nuncuparunt, condemnati fuerant (uti ex antiquo Claudio Apollinario Episcopo Hierapolitano refert Eusebius Cesaræensis lib. 5. cap. 15., & 18.) tum ab Apollonio Ephesino Antistite, tum a pluribus Asiæ, Phrygiæque Synodis propter impudentissimas hæreses, quas disseminabant. Appellarunt hi ad Romanum Pontificem postulantes, ut ablata sibi communio restitueretur. Pontifex, qui juxta Baronium erat Anicetus, juxta Pagium Victor, & juxta Christianum Lupum Zephyrinus (Anicetus ab anno 151. ad 161. Victor a 185. ad 197., & Zephyrinus a 197. ad 217. Romanum Pontificatum obtinuere) hæreticorum dolis circumventus iis litteras communicatorias, seu pacificas dedit, quibus priores sententiæ rescindebantur. At cum ex Asia Ro-

Romam venisset Praxeas, cujus plurima laus erat inter Fideles propter invictam constantiam, qua persecutionem pro vera Christi religione pertulerat, librum adversus Montanistas edidit, quo eorum detectis fraudibus, impetravit, ut pacificæ litteræ per fraudem extortæ revocarentur, uti ex Tertulliano patet in lib. adversus Praxeam cap. 1., qui in Montani hæresim lapsus, cum ægerrime ferret, sociorum fraudes à Praxea fuisse detectas, eumdem in libro citato acriter perstringit.

CAPUT VII.

Privati Lambesitani Episcopi ad Romanam Sedem appellatio.

PRivatus Lambesitanus in Africa Episcopus, cum in hæresim incidisset, aliaque patrasset crimina, primum a Synodo Lambesitana, mox a Primate Donato Carthaginensi Antistite condemnatus, ac de gradu dejectus, ad S. Fabianum Papam provocavit (sedit Fabianus in Petri Cathedra ab anno 236. ad 251.) Romamque accessit. Admisit Pontifex appellationem: at causa mature discussa prolatam in eum a Synodo, & a Primate sententiam confirmavit. Verum *ad quid Romani Pontificis judicio*, uti monet Franciscus Hallier lib.4. de Hierarch. Eccles. cap.2., *iterum damnarentur, qui ab Africanis damnati essent, nisi ejus sententia potuissent absolvi*? Post S. Fabiani martyrium Privatus Romam misit suæ cohortis Vexillarium, ut Romanum Clerum seduceret, & ab eo judicia præhabita revocarentur. At incassum cecidit fraus, uti Clerus ipse Romanus per hæc verba testatur in suo responso ad S. Cyprianum, a quo de Privati fraudibus fuerat admonitus: *Quod autem pertinet ad Privatum Lambesitanum, pro tuo more fecisti, qui rem nobis sollicitam nuntiare voluisti. Omnes enim nos decet pro corpore totius Ecclesiæ excubare. Sed nos etiam ante litteras tuas fraus callidi hominis latere non potuit. Nam cum ante hac quidam ex ejus nequitiæ cohorte venisset Vexillarius Privati, & furto, ac fraudulenter litteras a nobis elicere curaret, nec quis esset, latuit, nec litteras, quas volebat, accepit*. Ex his constat 1. primis Ecclesiæ temporibus Africanos Episcopos Romam provocasse, & quidem non modo ad Romanum Pontificem, sed ad Clerum etiam, cum Apostolica Sedes vacaret. 2. Romanas Appellationes non in Africa, sed Romæ, quandocumque Summo Pontifici placuit, fuisse discussas.

CAPUT VIII.

Novati inter Afros Episcopi Romana Appellatio.

CUm S. Cyprianus adhuc Neophytus, inaudito inter Afros exemplo, ad Carthaginensem Episcopatum fuisset evectus, ad ejus Tribunal, ut reus multorum criminum, delatus fuit Novatus. Imminebat statutus a Cypriano dies, quo causa erat dijudicanda, cum excitata Ethnicorum persecutione, cogi Synodus non potuit, & Carthagine recedere debuit Cyprianus. Hanc nactus occasionem Novatus, S. Cypriani electionem oppugnavit dictitans, illum utpote Neophytum contra Apostolicum Canonem intrusum in Episcopatum fuisse, adeoque non Episcopum esse, sed Episcopatus invasorem. Qua in re ex Carthaginensi Ecclesia asseclas sibi comparavit, Clericum nomine *Felicissimum*, quem ipse Diaconum consecravit, & quinque Presbyteros, qui cum electioni Cypriani non consensissent, Novatum, cui adhæserant, Carthaginensis Ecclesiæ Visitatorem constituerunt. At hic non stetit Novatus. Ut se ab objectis purgaret criminibus, & impendentem a Carthaginensi Synodo evaderet condemnationem; Cyprianum vero ut Episcopatus invasorem accusaret; Romam ad S. Fabianum transfretavit. At cum hic martyrio coronatus obiisset, Romæ Novatus substitit ejus Successorem expectans. Fuit hic S. Cornelius, qui vixit in Pontificatu ab anno 251., ad 252. Verum cum nonnulli ejus electioni restitissent; excitato Schismate, intrusus in Apostolicam Sedem fuit Ecclesiæ Romanæ Presbyter Novatianus. Hujus intrusionem tanto promovit studio Novatus, ut S. Cyprianus scribat, Novatianum ab eo *Episcopum fuisse constitutum*; quod de ejus electione, non de consecratione intelligi oportet, quippe teste S. Cornelio in epist. ad Fabium Antiochenum apud Eusebium Cæsaræensem, a tribus Italiæ Episcopis per fraudem deceptis, vinoque madidis impositione manuum Novatianus fuit consecratus. Interea clementiam erga lapsos, quam ante Cornelii electionem approbaverat, mutato studio Novatianus rejecit, eaque in re Novatum habuit adjutorem. At firmatus tandem in Apostolica Sede Cornelius, judicium adversus Novatum instituit, discussisque ejusdem tum apud Afros, tum Romæ perpetratis criminibus, nefarium hominem condemnavit; Eum tamen verum esse Episcopum edixit, qua de re subdubitare videbatur Cyprianus. Huic S. Cornelii judicio S. Cyprianus acquievit, quin de Novati Romana appellatione conquestus fuerit.

Con-

Conſtant hæc tum ex epiſt. S. Cornelii ad S. Cyprianum, quæ inter Cypriani epiſtolas eſt 48., tum ex Cypriani reſponſione ad S. Cornelium, quæ eſt 49.

CAPUT IX.

Fortunati, Feliciſſimi, & quatuor Africanæ Eccleſiæ Presbyterorum ad Sedem Apoſtolicam Appellatio.

QUO tempore Novatus, adſcitis ſibi Sociis Feliciſſimo, & quinque Africanæ Eccleſiæ Presbyteris, S. Cypriani electionem oppugnavit, vigebat apud Afros antiquus pœnitentialis diſciplinæ rigor, quo, etiam in exitu, lapſis in idololatriam pax reconciliationis denegabatur. Quamobrem cum plurimi eſſent in Africa lapſi, ac diſciplinæ rigor in Eccleſia Romana mitigari cœpiſſet; Novati factio ſe a Cypriani communione ſejunxit, & in montem Carthagini proximum ſecedens, lapſos ad communionem invitavit, pluresque etiam ſine pœnitentia admiſit: qua de re conqueritur S. Cyprianus in epiſtolis, ac in ſermone de lapſis, falſam eſſe ejuſmodi pacem affirmans, quamquam mox ipſe etiam Romanæ Eccleſiæ clementiam imitatus eſt, pluraque ſtatuit in Carthaginenſi Synodo, quam anno circiter 251. celebravit. Interea Novati factio Privatum Lambeſitanum Epiſcopum tum in Africa, tum Romæ damnatum, alioſque ſimiles ſibi adjunxit Epiſcopos. Hi Carthaginem profecti abſentem Cyprianum condemnarunt, & Fortunatum, unum ex iis quinque Africanæ Eccleſiæ Presbyteris, qui ab initio Novato adhæſerant, in Carthaginenſem Epiſcopum ſuperordinarunt. At Cyprianus, coacta Synodo, illos, tamquam Schiſmaticos, Sacrorumque Canonum violatores, anathematis ſententia percuſſit.

Schiſmatici continuo per epiſtolam, quam ſcripſit Fortunatus, ad S. Cornelium provocarunt. In ea 1. Cypriani intruſionem, ejuſque in Lapſos crudelitatem accuſant. 2. Fortunati electionem a 25. Epiſcopis habitam referunt, ejuſque confirmationem petunt. 3. ſe ex vindicta ab intruſo Cypriano damnatos dicunt, a damnationis ſententia appellant, eamque caſſari poſtulant. Litteras Romam tulerunt Legati, quorum Princeps Feliciſſimus, Collegæ vero erant reliqui quatuor Presbyteri. Hi Romam profecti, ut a Pontifice tamquam Carthaginenſis Epiſcopi Legati exciperentur, non modo fraudem, ac eloquentiam adhibuerunt, ſed tanto etiam impetu Cornelium aggreſſi ſunt, *ut comminarentur,*

quod

quod si litteras, quas attulerant, non recepisset; publice eas recitarent; Cyprianum vero a se in Africam regressis fustigandum, lapidandum, & gladiis etiam trucidandum dicerent. His nonnihil commotus Cornelius anceps hæsit, utrum illos audire, eorumque appellationem admittere, an eos rejicere deberet?

Certior de his factus Cyprianus epistolam ad S. Cornelium scripsit, in qua ad ea respondet, quæ obiiciebantur. Quoad suum Episcopatum, se ex divina, humanaque dispensatione legitime electum, consecratu nque fuisse affirmat. Ait enim, *se divino judicio, populi suffragio, Coepiscoporum consensu in pace electum*, jam per quatuor annos in Episcopatu probatum, omnibus Collegis fideliter junctum, a Deo in persecutione protectum, & non a Christianis modo, sed ab Ethnicis quoque pro legitimo Episcopo agnitum fuisse, cum per eos ipsos dies fuisset, *applicito, & adjuncto Episcopatus nomine, proscriptus*; & tam in Circo, quam in Amphitheatro *postulatus ad Leonem*. Suam negat in lapsos crudelitatem, servari a se dicens Romanæ clementiæ decreta, quorum se fautorem, custodem, & Auctorem affirmat, itaut de nimia potius facilitate argueretur. Ad secundum reponit, Fortunatum a quinque solum, iisque damnatis Episcopis intrusum fuisse, & consecratum, quorum Princeps fuit Privatus Lambesitanus de hæresi tum in Africa, tum Romæ condemnatus; atque adeo eumdem nihil inde sanctimoniæ, ac dignitatis, sed incrementa criminum, ac damnationis accepisse.

Ad tertium de Fortunati, aliorumque appellatione ad Apostolicam Sedem, sic in eadem epist., quæ est 49., post recensita eorumdem scelera, inquit: „ Post ista adhuc, Pseudo-Episcopo sibi ab hæreticis „ constituto, navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, a Schismaticis, & profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, ad „ quos perfidia habere non possit accessum. Quæ autem causa veniendi, & Pseudo-Episcopum contra Episcopos factum nunciandi? Aut „ enim placet illis, quod fecerunt, & in suo scelere perseverant; aut „ si displicet, & recedunt, sciunt, quo revertantur. Nam cum statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter, & justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis „ Pastoribus portio Gregis sit adscripta, quam regat unusquisque, & „ gubernet, rationem sui actus Domino redditurus, oportet utique „ eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum con-

„ cor-

„ cordiam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate collidere, sed „ agere illic causam suam; ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possint, nisi si paucis desperatis, & perditis minor videtur esse „ auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui jam de illis judicaverunt, & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam judicii sui nuper gravitate damnarunt. Jam causa eorum cognita „ est, jam de eis dicta sententia est, nec Censuræ congruit Sacerdotum „ mobilis, atque inconstantis animi levitate reprehendi, cum Dominus doceat, & dicat: sit sermo vester, est, est, non, non: Si eorum, qui de illis priori anno judicaverunt, numerus cum Presbyteris, ac Diaconis computetur, plures tunc adfuerunt judicio, & cognitioni, quam sunt iidem isti, qui cum Fortunato nunc videntur „ esse conjuncti „. Ex his Cypriani verbis Petrus de Marca, Paschalis Quesnellus, aliique eorum asseclæ invictum erui putant adversus Romanas Appellationes argumentum. At nihil inde erui posse ostendo.

Duo tamen præmitto. Primum est, S. Cyprianum censuisse, nullius esse valoris collata ab hæreticis Baptismi, atque Ordinis Sacramenta. Hinc acerrima illa inter ipsum, & S. Stephanum Papam de Baptismo ab hæreticis collato controversia, quem affirmabat Cyprianus, negabat Stephanus esse iterandum. Hinc in laudata Epistola Cyprianus clamat, Fortunatum, utpote ab hæretico Privato Lambesitano consecratum, non nisi falsum, & imaginarium esse Episcopum, eumque Pseudo-Episcopum appellat: *Scire debes, Frater Charissime, Fortunatum, postquam Pseudo-Episcopus ab hæreticis factus est, jam pene ab omnibus esse desertum. Namque ii, quibus in præteritum præstigia ostendebantur, & dabantur verba fallacia, quod simul ad Ecclesiam regressuri dicerentur, postquam viderunt illic Pseudo-Episcopum factum, frustratos, & deceptos se esse didicerunt, & remeant quotidie, atque ad Ecclesiam pulsant*. Et paulo post de Legatis loquens Romam missis a Fortunato, subdit: *De istis quid dicam, qui nunc ad te cum Felicissimo navigaverunt, Legati a Fortunato Pseudo-Episcopo missi, tam falsas ad te litteras afferentes, quam est & ipse, cujus litteras ferunt, falsus &c.* Carthaginensis itaque populus Fortunatum, utpote ab hæreticis consecratum, esse falsum Episcopum arbitrabatur, uti putabat Cyprianus. Lapsi enim, qui factioni rebellium Presbyterorum adhæserant, ubi Fortunatum ab hæreticis intrudi, & consecrari viderunt, ipsum rati non esse, nisi Pseudo-Episcopum, va-

vanumque Episcopi spectrum, hominem subdito deseruerunt, & ad Episcopum suum remearunt. Erravit in hac opinione Cyprianus, & post ipsum populus: contrarium enim Ecclesia Catholica definivit. At si quid in eo deliquit (illum enim S. Augustinus excusat) culpam omnem martyrio eluit, quod pro Christo fortiter toleravit.

Alterum, quod præmitto, est, antiquam in Africa consuetudinem statuto confirmatam viguisse, ut Episcopis quidem liceret, secus vero inferiori Clero transmarinas, idest Romanas appellationes interponere, ac prosequi. Ejusmodi autem consuetudinis, ac statuti hanc Cyprianus causam adducit, ut duplex, quo Africanus Clerus laborabat, vitium præcideretur, videlicet circumcursandi, & in his circumcursationibus concordes Episcoporum animos dissociandi: *Oportet utique*, verba sunt Cypriani, *eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem subdola, & fallaci temeritate collidere.*

His præmissis, mentem Cypriani investigemus. Non loquitur certe is de Episcopis, quasi iis transmarinæ non licerent appellationes, sed de inferiori solum Africanæ Ecclesiæ Clero, neque de statuto loquitur, quod toti commune esset Ecclesiæ, sed de singulari, & unius Africanæ Ecclesiæ proprio. Patet primum, quia in eadem epistola S. Fabianum laudat, quod Privatum Lambesitanum Episcopum a Synodo, & a suo Primate appellantem excepisset, audiisset, causaque discussa, condemnasset. Cyprianus ergo de Cornelio conqueritur, quod Fortunatum, simplicem Presbyterum, Antistiti suo rebellem, ab hæretico Privato Lambesitano invalide, ut ipse putabat, Episcopum consecratum, legitimo Episcopo jamdiu in sua Cathedra sedenti superintrusum, ad Apostolicam Sedem appellantem non statim repulerit, quemadmodum Africanæ Ecclesiæ consuetudo, ac statutum postulabat, & quemadmodum Cornelius ipse cum Felicissimo se gesserat, quem a S. Cypriano appellantem, ac Romam profectum, quoniam non Episcopus erat, sed Clericus, ne audierat quidem, sed ex Urbe statim ejecerat. *Item Felicissimum* (en Cypriani verba) *signiferum seditionis recognosceres, qui & ipse in eisdem Coepiscoporum nostrorum factis ad te pridem litteris continetur, qui non tantum isthic abstentus, sed abs te illic nuper de Ecclesia pulsus est*. Conqueritur præterea, quod factiosorum minis commotus anceps hæsisset Cornelius, an Fortunatum ad appellandum admitteret;

cum-

eumque non ut Clericum tractasset, sed ut Episcopum. *Satis miratus sum*, inquit, *cum animadvertissem, te minis, atque terroribus eorum aliquantum fuisse commotum*. Patet deinde, eum de statuto tantum loqui Africanæ Ecclesiæ proprio. Cypriani verba ponderemus. *Cum statutum sit*, inquit, *omnibus nobis*, videlicet Afris, non toti Ecclesiæ; *Et æquum sit pariter, ac justum, ut uniuscujusque* (videlicet Clericorum) *causa illic audiatur, ubi est crimen commissum*; non dicit necessarium, sed æquum, ac justum, morem suæ gentis defendens, non communes Canones, aliarumque gentium consuetudines arguens; *Et singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque, & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus*; quibus verbis affirmat plures esse in Ecclesia Pastores (videlicet Patriarchas, & Primates, ad quos in Africana Ecclesia, & ubicumque appellare Clerus inferior poterat) iisque permittendum, ut unusquisque sui Cleri, Populique mores formet, actuum suorum rationem Deo redditurus. Mox subdit: *Nisi si paucis desperatis, & perditis minor videatur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum*; idest hoc Africanæ Ecclesiæ statutum Afris omnibus placet, paucis exceptis desperatis, ac perditis, qui sibi auxilium undecumque aucupantes pluris aliorum, quam Afrorum Episcoporum auctoritatem facere videntur. Tota itaque Cypriani mens est, Fortunatum non esse Episcopum, sed Presbyterum, adeoque ad Africanam Synodum esse remittendum, tractandumque a Cornelio, non secus ac ipse Novatianum ab Episcopis tractari vellet, nempe non ut Papam, sed ut Presbyterum facinorosum; in quo, uti diximus, Cyprianus erravit. Commendat quidem, ut æquum, ac justum, suæque Ecclesiæ utilissimum, statutum illud, quo inferiori Clero Romana appellatio interdicebatur: At non proinde Romano Pontifici potestatem denegat excipiendarum inferioris Cleri appellationum, neque eidem improperat, quod per ejusmodi appellationes jura sibi Episcoporum usurpaverit. Quid ergo contra Romanas appellationes ex hac Cypriani epistola inferatur, non video.

CAPUT X.

Episcoporum Basilidis Asturicensis, & Martialis Emeritensis Romana Appellàtio.

BAsilides Asturicensis, & Martialis Emeritensis, in Hispania Episcopi, utpote libellatici, aliorumque criminum rei, per Synodalem sententiam depositi, Romam accesserunt, interposita ad S. Stephanum Papam appellatione, qui per obreptionem deceptus, eos reparavit, suisque Sedibus restituit. Romanam autem Ecclesiam gubernavit S. Stephanus ab anno 253. ad 257. Asturicenses appellationem hanc esse inanem, ac nullam arbitrati Sabinum in Basilidis locum consecrarunt; quorum tamen exemplum imitati non sunt Emeritenses, Romanæ Sedi obsequentiores. Verum cum reversis in Sedes suas Basilidi, & Martiali plures non modo Laici, & Clerici, sed etiam Episcopi plene communicassent; alii vero plures, Apostolicæ Sedi eos obrepsisse rati, rejiciendos, graviterque puniendos arbitrarentur, turbæ plurimæ excitatæ sunt, ad quas sopiendas utriusque Ecclesiæ Clerus per epistolam S. Cyprianum, ejusque Synodum consuluit. Quid ad hæc Cyprianus? Nullam in Synodali rescripto querelam adhibet adversus appellationem, sed solum edicit, Basilidis. ac Martialis reparationem, ac restitutionem, utpote obreptitie obtentam, nullius esse roboris, ac firmitatis, præsertim cum juxta decretum Cornelii Papæ de clementia erga lapsos Clericos, & Episcopos adhibenda, admitti ii quidem ad pœnitentiam potuissent per solam Laicam communionem; ab ordinatione autem Cleri, & a Sacerdotali honore omnino debuissent prohiberi. Hinc Sabini electionem, atque ordinationem approbat, & utriusque Ecclesiæ Clerum hortatur, ut a Basilidis, ac Martialis communione abstineat.

Audiamus verba Cypriani in Synodali Rescripto in epist. 68. *Cum in unum convenissemus, legimus litteras vestras, quas ad nos per Felicem, & Sabinum Episcopos nostros pro fidei vestræ integritate, & pro Dei timore fecistis, significantes Basilidem, & Martialem, libellis idololatriæ commaculatos, & nefandorum facinorum conscientia vinctos, Episcopatum gerere, & Sacerdotium Dei administrare non oportere; & desiderantes rescribi ad hæc a nobis, & justam pariter, ac necessariam sollicitudinem vestram vel solatio, vel auxilio nostræ sententiæ sublevari.* Recenset mox Cy-

Cyprianus Basilidis, & Martialis crimina, & ita subdit: *Frustra tales sibi Episcopatum usurpare conantur, cum manifestum sit, ejusmodi homines, nec Ecclesiæ Christi posse præesse, nec Deo sacrificia offerre debere, maxime cum jampridem nobiscum, & cum omnibus Episcopis in toto Mundo constitutis etiam Cornelius Collega noster, Sacerdos pacificus, ac justus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus decrevit, ejusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem Cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi. Nec vos moveat, Fratres dilectissimi, si apud quosdam in novissimis temporibus aut lubrica fides nutat, aut Dei timor irreligiosus vacillat, aut pacifica concordia non perseverat &c. Quare etsi aliqui de Collegis nostris extiterunt, qui Deificam disciplinam negligendam putant, & cum Basilide, & Martiale temere communicant, conturbare fidem nostram res ista non debet &c. Propter quod integritatis, & fidei vestræ religiosam sollicitudinem & laudamus pariter, & probamus, & quantum possumus, adhortamur litteris nostris, ne vos cum profanis, & maculatis Sacerdotibus communicatione sacrilega misceatis &c.* Approbat deinde Cyprianus Sabini in Basilidis locum ordinationem, sibique ejusdem Basilidis, ac Martialis Romanam appellationem objiciens, ne indirecte quidem eam reprobat, aut de ea conqueritur, sed solum utriusque in pristinum gradum restitutionem a S. Stephano statutam contendit esse obreptitiam, nulliusque roboris, ac firmitatis.

„ Quod & apud nos factum videmus „, inquit „, in Sabini Collegæ
„ nostri ordinatione, ut de universæ Fraternitatis suffragio, & de
„ Episcoporum, qui in præsentia convenerant, quique de eo ad vos
„ litteras fecerant, judicio, Episcopatus ei deferretur, & manus in
„ locum Basilidis imponerentur. Nec rescindere ordinationem jure
„ perfectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta Romam
„ pergens, Stephanum Collegam nostrum longe positum, & gestæ
„ rei, ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi se in-
„ juste in Episcopatum, de quo fuerat juste depositus. Hoc eo per-
„ tinet, ut Basilidis non tam abolita sint, quam cumulata delicta,
„ ut ad illa superiora peccata ejus fallaciæ, & circumventionis cri-
„ men accesserit. Neque enim tam culpandus est ille, cui negli-
„ genter obreptum est, quam hic execrandus, qui fraudulenter ob-
„ repsit. Obrepere autem si hominibus Basilides potuit, Deo non
„ potest. Sed nec Martiali potest profuisse fallacia, quominus

„ ipse

„ ipse quoque delictis gravibus involutus Episcopatum tenere non „ debeat „.

Ex antiquissima regula, quam Sardicensis Synodus confirmavit, degradato Episcopo novus superordinari non poterat, nisi ejus damnationem Romana Ecclesia confirmasset. Hinc S. Augustinus, uti cap. seq. patebit, in Epist: 162. Secundum Tigisitanum Numidiæ Primatem, ejusque Collegas reprehendit, quod Cæciliano Carthaginensi Episcopo ab ipsis deposito Majorinum superordinassent, antequam ejus condemnationem Summus Pontifex confirmasset; quam quidem regulam Augustinus apud Afros certam, notamque fuisse supponit, & certe non ex Sardicensi Canone. Afris enim, & S. Augustino hi Canones fuerunt ignoti, uti superius ostendimus. Hanc eamdem regulam, quamquam probe nosset S. Cyprianus, in Sabini tamen ordinatione locum non habuisse supponit, quia manifeste frivola fuerat Basilidis appellatio, & perspicua erat obreptio, qua appellantes Stephanum fraudulenter fefellerant, uti ex pluribus Episcoporum testimoniis, quæ producit, constare ait. Non ergo Cyprianus censuit, Stephanum Papam in hac causa sine potestate judicasse, sed affirmat solum aliena fraude in judicando fuisse deceptum. Cum autem errantis nullus sit consensus, quis ignorat, invalida ipso jure esse, ac nulla Apostolicæ Sedis rescripta, quæ fuerint obreptitie impetrata?

CAPUT XI.

Cæciliani Carthaginensis Antistitis causa ad S. Melchiadem Papam per modum appellationis defertur.

MOrtuo Mensurio Carthaginensi Episcopo, redditaque per Constantinum Ecclesiæ pace, *Botrus*, *&* *Celesius* Carthaginenses Clerici, *apud Carthaginem ordinari cupientes*, uti narrat S.Optatus Milevitanus lib.1. adversus Parmenianum, operam dederunt, *ut*, *absentibus Numidis*, *soli vicini Episcopi peterentur*, *qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent*. *Tunc suffragio totius populi Cæcilianus eligitur*, *&* *manus imponente Felice Aptungitano Episcopo*, *ordinatur*. Displicuit ea res Numidis Episcopis, ac præsertim Donato a Casis Nigris, qui proinde Lucillam opulentissimam Mulierem, & Carthaginenses quosdam criminosos Clericos

ricos

ricos sibi factionis comites adjungens; Secundum Tigisitanum, Numidiæ Primatem, cum septuaginta Collegis Episcopis Carthaginem evocavit. Cum hi Cæcilianum jam consecratum reperissent, ira perciti Synodum, seu collationem habuere, præsidente Secundo, inter Africæ Primates post Carthaginensem Principe, & cum Cæciliani ordinationem faciendam fuisse a Secundo dicerent, & Primatem a Primate fuisse consecrandum, illam propter defectum legitimi Consecratoris repudiarunt. *Donatistæ*, ait S. Augustinus in Carthaginensis Collationis Breviculo, *longa prosecutione agebant in collatione, quod non expectaverit Cæcilianus, ut Princeps a Principe ordinaretur, cum tamen aliud habeat Catholicæ Ecclesiæ consuetudo, ut non Numidiæ, sed propinquiores Episcopi Episcopum Ecclesiæ Carthaginis ordinent, sicut nec Romanæ Ecclesiæ Episcopum ordinat aliquis Metropolitanus, sed de proximo Ostiensis Episcopus*. Mox præter calumnias, quas Cæciliano, ejusque Consecratoribus inusserunt, ausus est Secundus vocare Cæcilianum ad Synodum, & quamquam is venire noluisset (Superior enim citari nequit a Subditis) Secundus tamen absentem in contumaciam condemnavit, eoque deposito superordinavit Majorinum. Tunc consummato schismate, Carthaginensis Clerus cum Populo pro Cæciliano stetit, noluitque communicare Schismaticis, ac dicti sunt *pars Cæciliani*; Donatistæ pro Majorino steterunt; dictique sunt *pars Majorini*.

At cum Cæciliano permansit, ut inquit Augustinus epist. 43. alias 162. ad quosdam Donatistarum Episcopos, *communio Orbis terrarum, & ad eum, non ad Majorinum a Transmarinis Ecclesiis* (hoc nomine Romana potissimum Ecclesia designatur) *communicatoriæ litteræ mittebantur*. Ægre ferentes Donatistæ suam depositionis sententiam nihili fieri, omnique executione destitui, Cæcilianum apud Constantinum Magnum per Anulinum Proconsulem accusarunt, ejusque causam retractari petierunt. Sed ad Episcopos remissi, cum eorum reformidarent judicium, suspectum vero haberent S. Melchiadem Papam, qui per formatas litteras Cæciliano communicaverat; ut Gallicanos Antistites sibi Judices daret, ab Imperatore postularunt. Audiatur S. Augustinus epist. 48. ad Vincentium Cartennensem in Mauritania Episcopum:
„ Majores vestri Cæcilianum tunc Ecclesiæ Carthaginensis Episcopum,
„ cui tamquam criminoso communicare noluerunt, apud Principem
„ Constantinum per Anulinum Proconsulem accusaverunt.... Illos
„ magis hinc arguimus, quia apud Imperatorem ultro Cæcilianum ac-

„ cu-

„ cusaverunt, quem prius apud Collegas Transmarinos convincere „ debuerunt. Ipso autem Imperatore longe ordinatius agente, ut Episcoporum causam ad se delatam ad Episcopos mitteret, nec victi pacem cum Fratribus habere voluerunt; sed rursus ad eumdem Imperatorem venerunt, rursus non Cæcilianum tantum, verum etiam „ datos sibi Episcopos Judices apud terrenum Judicem accusaverunt.

At Constantinus causam transmisit S. Melchiadi Papæ, cui tres Gallicanos adjunxit Antistites, ut aliquid Donatistis impertiri videretur. *Visum est mihi*, sic Melchiadi scripsit Imperator, *ut Cæcilianus cum decem Episcopis, qui illum reum facere videntur, & decem aliis, quos ipse suæ litis dijudicationi necessarios existimaverit, Romam navigio trajiciat, & ibi coram vobis, Rheticio etiam* (Augustodunensi), *Materno* (Coloniensi), *& Marino* (Arelatensi) *Collegis vestris, quos ea de causa Romam maturare jusserim, possit audiri, sicut sanctissima Dei Lex, ut nostis, postulat*. Ex Evangelio quippe cum Romanus Episcopus sit totius Ecclesiæ Primas, ac Judex, nonnisi ad illum poterat ea causa devolvi. Causæ exitum, super qua, ut ait Augustinus, *ipsius Beati Melchiadis ultima est prolata sententia*, sic cit. epist. 43. idem S. Doctor exponit: „ Donatistæ petierunt a Constantino tunc Imperatore Judices Episcopos, qui de suis „ quæstionibus, quæ in Africa exortæ pacis vinculum dirimebant, „ judicarent. Quod posteaquam factum est, præsente Cæciliano, & „ illis, qui adversus eum navigaverant, judicante Melchiade tunc Romanæ Urbis Episcopo cum Collegis suis, quos ad preces Donatistarum miserat Imperator, in Cæciliano nihil probari potuit, ac per hoc, „ illo in Episcopatu confirmato, Donatus, qui adversus eum tunc „ aderat, fuit condemnatus „. Concilium hoc habitum fuit Romæ in Palatio Lateranensi mense Octobris ann. 313., eique novemdecim Episcopi interfuerunt.

Quamquam neque Cæcilianus, neque Donatistæ expresse ad Romanum Pontificem appellaverint; Causæ tamen retractationem, quam Donatistæ a Constantino petierant, in appellationem convertit Imperator. Ultimum enim causæ judicium Melchiadi remisit, cui ratione Primatus deberi, Ecclesiasticæ disciplinæ, atque Evangelicæ legis non ignarus, probe sciebat Constantinus, qui proinde omnem adimens in ea causa (uti in appellatione fit) a Numidarum Episcoporum Synodo potestatem, utramque partem adesse coram Pontifice jussit cum accusatoribus, ac testibus, aliisque personis necessariis, ut causa tandem per ulti-

ultimam ſententiam finiretur, quemadmodum factum fuiſse perhibent S.Optatus, & S.Auguſtinus.

Cæciliani cauſam a Melchiade in gradu appellationis definiri debuiſſe S. Auguſtinus expreſse docet in cit.epiſt. 43., ubi expoſita Cæciliani damnatione, quam Secundus attentaverat, ſic inquit: „ Secundus tanto magis timere debuit, ne pax unitatis violaretur, quanto erat Carthago Civitas ampla, & illuſtris, unde ſe per totum Africæ corpus malum, quod ibi eſſet exortum, tamquam a vertice, effunderet. Erat enim Tranſmarinis vicina regionibus, & fama celeberrima nobilis. Unde non mediocris utique auctoritatis habebat Epiſcopum, qui poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cum ſe videret & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus, & cæteris terris, unde ipſum Evangelium ad Africam venit, per communicatorias litteras eſſe conjunctum, ubi paratus eſſet cauſam dicere, ſi adverſarii ejus ab eo illas Eccleſias alienare conarentur. Quia ergo venire noluit Cæcilianus ad hoſpitium Collegarum, quos a ſuis inimicis contra veritatem ſuæ cauſæ perverſos eſſe ſentiebat, vel ſuſpicabatur, vel, ut Donatiſtæ aſſerunt, ſimulabat; tanto magis Secundus, ſi vere pacis eſſe cuſtos voluiſſet, cavere debuit, ne damnarentur abſentes, qui judicio eorum omnino intereſse noluerunt. Neque enim de Presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris Ordinis Clericis, ſed de Collegis agebatur, qui poſſent aliorum Collegarum, præſertim Apoſtolicarum Eccleſiarum, judicio cauſam ſuam integram reſervare, ubi contra eos ſententiæ datæ in abſentes nullo modo aliquid valerent, quando eorum judicium non primo aditum poſtea deſeruerunt, ſed ſuſpectum ſemper habitum numquam adire voluerunt „. Ex doctrina igitur Auguſtini poterat 1. Cæcilianus non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, quia ad Romanam Eccleſiam, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus, poterat provocare: licebat ergo per Auguſtinum Epiſcopo a Synodo ad Romanum Pontificem provocare. Poterat 2. quilibet Africæ Epiſcopus criminales ſuas cauſas Apoſtolicæ Sedi reſervare, cum Africana conuetudo, ac ſtatutum Presbyteros tantum, alioſque minores Clericos, non vero Epiſcopos ad Apoſtolicam Sedem appellare vetaret. Poterant 3. Epiſcopi, qui a Secundo damnati fuerant in Synodo, non modo poſt Synodale judicium, verum etiam, ſi illud propter juſtam perverſionis Judicum ſuſpicionem adire

adire nollent, ad Apostolicam Sedem appellare: id enim significant verba illa Augustini: *Apostolicarum Ecclesiarum judicio causam suam integram reservare.*

Subdit mox Augustinus, potuisse Secundum, si paci consulere voluisset, his dictis iram Collegarum suorum facile cohibere: *Videtis Fratres &c. Itaque aut omnes istas causas, quas clades turbulentissimi temporis inflixit Ecclesiæ, Deo Judici dimittamus, aut si aliqui in vobis sint, qui certa istorum crimina ita noverint, ut ea facile valeant edocere, negantesque convincere, & talibus communicare formidant, pergant ad Fratres, & Collegas nostros Transmarinarum Ecclesiarum Episcopos, & ibi prius de istorum factis, & contumacia conquerantur, quod ad Judicium Collegarum Afrorum male sibi conscii venire noluerunt, unde illis denuncietur, ut veniant, ibique objectis respondeant. Quod si non fecerint, ibi etiam eorum pravitas, & perversitas innotescet, missaque Tractoria super eorum nomine per totum Orbem terrarum, quacumque jam Christi Ecclesia dilatata est, ab omnibus Ecclesiis eorum communio præcidetur, ne aliquis error in Cathedra Ecclesiæ Carthaginis oriatur. Tum demum securi Episcopum alium plebi Carthaginis ordinabimus, cum a tota Ecclesia isti separati fuerint., ne forte cum alius modo fuerit ordinatus, non ei communicetur ab Ecclesia Transmarina, quia iste ab honore depositus non videbitur, quem jam ordinatum fama celebravit, & ad eum communicatorias commeare litteras fecit.* Docet itaque Augustinus, Episcopos ad Synodum accedere renuentes propter suspicionem adversus Synodi Patres excitatam non debuisse a Synodo in absentia condemnari, eorumque causam non a Synodi Patribus fuisse judicandam, sed ad Apostolicam Sedem fuisse transmittendam: apud eam suspicantes Episcopos de inani, illegitimaque contumacia fuisse convincendos, convictosque ad Synodi judicium remitti debuisse: Si autem parere nollent, tunc demum propter contumaciam damnandos a Romano Pontifice fuisse, ac damnationis tractoriam ad omnes sub Cœlo Ecclesias transmittendam: post hæc novum Episcopum consecrari tuto potuisse. Ex Augustino igitur patet 1. supremum in Episcoporum causis Judicem esse Romanum Pontificem, a quo ultima pronuncianda est definitiva sententia. 2. deposito Episcopo superordinari novum non posse, nisi prioris Episcopi depositionem Apostolica Sedes confirmarit. 3. perpetuam Africanæ Ecclesiæ consuetudinem fuisse, ut per Romanam appellationem executio sententiæ condemnatoriæ suspenderetur, donec illam, causa retractata, iterumque discussa, Romanus Pontifex confirmaret: quam consuetudinem

dinem mox Sardicense Concilium confirmavit, & ad omnes extendit Ecclesias.

Ostendens deinde Augustinus, Carthaginensem Synodum, quam in privata domo Secundus celebravit, non fuisse in Cæciliani causa Judicem competentem, ita subdit:,, Quibus omnibus rebus cum eos ,,(Secundum videlicet, ejusque Collegas) ,, non veros Judices, sed inimi-
,, cos, atque corruptos Cæcilianus convenisse agnosceret; quomodo
,, fieri posset, ut vel ipse vellet, vel Populus, cui præsidebat, per-
,, mitteret, ut, relicta Ecclesia, iret in domum privatam, non Col-
,, legarum discutiendus examine, sed factionis cuneo, & odiis mu-
,, liebribus trucidandus? cum sibi præsertim videret apud Ecclesiam
,, Transmarinam ,, (videlicet Romanam) ,, a privatis inimicitiis, &
,, ab utraque parte dissensionis alienam, incorruptum, & integrum
,, examen causæ suæ remanere; ubi si nihil Adversarii agere vellent,
,, ipsi se ab innocentissima Orbis terrarum communione præciderent:
,, Si autem illic eum accusare tentassent, tunc innocentiam suam ad-
,, versus eorum machinamenta defenderet, sicut postea factum esse
,, didicistis; cum tamen nimis sero illi quæsissent judicium Transmari-
,, num, jam Schismatis Rei, jam levati altaris horrendo scelere ma-
,, culati. Primo enim facerent, si veritate niterentur: sed falsis ru-
,, moribus temporis diuturnitate firmatis, quasi vetusta fama præjudi-
,, cante, ad judicium venire noluerunt.... Sed posteaquam ipsis rebus
,, experti sunt, cum Cæciliano permanere communionem Orbis ter-
,, rarum, & ad eum a Transmarinis Ecclesiis communicatorias litteras
,, mitti &c., elegerunt agere causam cum Cæciliano apud Ecclesias
,, Transmarinas &c.,,. Ex adductis Augustini verbis patet 1. Cæcilianum suspectam statim habere potuisse Synodum Secundi, & ad Ecclesiam Transmarinam, idest Romanam, provocare. 2. Donatistas potuisse, ac debuisse primam causæ instantiam ad Romanam Ecclesiam deducere, & tunc Cæcilianum evocationi parere debuisse. 3. Non Cæcilianum, sed Donatistas Transmarinam Ecclesiam; quamquam nimis sero, appellasse, uti significant verba illa Augustini: *Cum tamen nimis sero quæsissent judicium Transmarinum: elegerunt agere causam cum Cæciliano apud Ecclesias Transmarinas.*

S. Cyprianus, S. Augustinus, aliique Africani Patres, imo etiam Africanæ Synodi *per Transmarinam Ecclesiam*, *seu Transmarinas Ecclesias*, nonnisi Romanam potissimum Ecclesiam intelligunt. De S. Augustino ex

hac

hac eadem constat epistola. Nam 1. eam Ecclesiam Augustinus intelligit, in qua paratus erat causam suam dicere Cæcilianus. At hæc nonnisi Romana fuit, *in qua semper Apostolicæ Sedis viguit Principatus*. 2. eam intelligit, quæ Cæcilianum, aliosque Africanos Episcopos propter contumaciam, aliudve crimem condemnare poterat, & super damnati nomine ad omnes sub Cœlo Ecclesias mittere Tractoriam. At id sola Romana poterat, ac potest Ecclesia. 3. eam intelligit, apud quam Donatistæ suam causam primitus agere debuissent, & apud quam eorum causa postmodum, quamquam nimis sero, acta est: Hæc autem est Romana Ecclesia. De S.Cypriano satis constat ex iis, quæ superius adduximus. Quod ad Africanas Synodos attinet; Synodus Milevitana de Clericis Afris ad Romanam Sedem appellantibus sic statuit: *Ad Transmarina qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiatur*. Africanus Codex post decretum de recipiendis in suo honore Episcopis, aut Clericis Donatistarum ita subdit: *Sed hanc rem placuit non confirmari prius, quam exinde Transmarina Ecclesia consulatur*; quæ verba sic explicat alius Canon, videlicet 108.: *Litteræ mittantur ad Fratres, & Coepiscopos nostros, & maxime ad Sedem Apostolicam, in qua præsidet Venerabilis Frater, & Collega noster Anastasius*. Idem Africanus Codex de firmando divinorum librorum catalogo sic decernit: *De confirmando illo Canone Transmarina Ecclesia consulatur*; quæ verba sic alius Canon exponit: *Hoc etiam Fratri, & Consacerdoti Nostro Bonifacio, vel aliis earum partium Episcopis, pro confirmando illo Canone, innotescat, quia a Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda*. Quod autem aliquando non in singulari, sed in plurali numero *Transmarinas Ecclesias* dicant Africani Patres, id eam ob causam factum est, quia sciebant Romanum Pontificem non sine Synodo Episcoporum Italiæ, & Cleri Romani super gravioribus rebus, & Controversiis deliberare solere.

At inquies: si nomine *Transmarinæ Ecclesiæ* S. Augustinus Romanam intelligit Ecclesiam, cur in suis epistolis agens de causa Cæciliani, ac de communicatoriis ad ipsum litteris, passim adjungit *Apostolicas Ecclesias*, *omnes Collegas*, *totumque terrarum Orbem*? Resp. duplicem esse causam. Prima est, quia Cæcilianus non modo coram Romana Ecclesia, sed etiam coram plenaria totius Ecclesiæ Synodo, imo coram omnibus sub Cœlo Ecclesiis paratus erat causam tueri suam. Altera est, ut ostendat, eum, qui Romanæ Ecclesiæ communicat, omnibus sub Cœlo Ecclesiis, totique terrarum Orbi communicare. Et sane

ſane Synodus Aquilejenſis in litteris ad Imperatorem Gratianum datis, ſic ait: *Totius Orbis Romani Caput Romanam Eccleſiam, atque illam Sacroſanctam Fidem Apoſtolorum ne turbari ſineret, obſecranda fuit veſtra clementia. Inde enim in omnes venerandæ communionis jura dimanant.* Romana ergo Eccleſia eſt totius Orthodoxæ communionis radix, & propago, adeoque quicumqne ipſi, & cuicumque ipſa commercio formatarum communicat, ipſi tota Eccleſia, & ipſe toti Eccleſiæ, adeoque omnibus etiam Apoſtolicis Eccleſiis, & Collegis omnibus communicat. Hinc qui ad Romanam appellat Eccleſiam, vel ab ea reparatur, appellat ad omnes, & ab omnibus reparatur Collegis, & Eccleſiis, præſertim Apoſtolicis, propter ſingularem, quem in Catholica Communione habent, gradum. Hanc ob cauſam S. Joannes Chryſoſtomus ad S. Innocentium Papam appellans, ſermonem ſuum concludit, verba ad omnes Italiæ Epiſcopos faciens: *Igitur Domini maxime venerandi, & pii &c.* Romana quoque S. Damaſi Synodus ad Imperatorem Theodoſium ſcribens inquit: *Sanctæ memoriæ Athanaſius, & Petrus, Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopi, & Orientalium plerique ad Romanæ Eccleſiæ, Italiæ, & totius Occidentis confugerunt judicium*: Et tamen certum eſt, eos nonniſi ad Romanum provocaſſePontificem, & ab eo auditos fuiſſe, ac reparatos. Quid plura? Euſebiani ipſi in Philippopolitano Conciliabulo, ægre ferentes conceſſam S. Athanaſio, aliiſque appellantibus reparationem, non cunctos Occidentis, aut Italiæ Epiſcopos, ſed ſolum Julium Romanum Pontificem degradarunt, cui adjunxerunt quidem Hoſium Cordubenſem, & Maximinum Trevirenſem, ſed eam unam ob cauſam, quia Julium ad ejuſmodi reparationem inſtigaverant. Accedit huc, quod Latini, imo Orthodoxi omnes Epiſcopi ſemper cum Romano Pontifice unicam conſtituerunt Eccleſiam, unicamque familiam, & populum labii unius, atque eorumdem ſermonum. Tandem Italiæ Epiſcopi primis illis Eccleſiæ Sæculis propriam Romani Pontificis Synodum efformabant, & in retractatoriis appellationum judiciis ejuſdem Aſſeſſores erant, atque Conjudices.

At enim repones: Si Romanus Pontifex eſt Supremus Epiſcoporum Judex; 1. cur S. Melchiades tot ſibi Conjudices ab Imperatore adjungi paſſus eſt? 2. cur, ultima a ſe prolata ſententia, iteratam cauſæ Cæciliani cognitionem in Concilio Arelatenſi I. haberi permiſit? 3. cur S. Auguſtinus poſt Romanum judicium toties Arelatenſe Concilium Donatiſtis opponit? 4. cur idem S. Doctor, poſt ultimam Ro-

mani Pontificis decisionem, causam eamdem in plenario universæ Ecclesiæ Concilio discuti posse confessus est? Sic enim in laudata epistola inquit: *Ecce putemus, illos Episcopos, qui Romæ judicaverunt, non bonos Judices fuisse: restabat adhuc plenarium universæ Ecclesiæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus causa posset agitari.*

Ad primum respondeo, S. Melchiadi tres tantum a Constantino Gallicanos Antistites fuisse adjunctos ad Cæciliani causam dijudicandam: reliquos, & quidem multo plures, videlicet sexdecim, uti superius diximus, ipse sibi Episcopos Assessores assumpsit, ut in re videlicet tanti momenti Christiana uteretur prudentia, quemadmodum in gravibus negotiis facere semper consuevisse monuimus Romanos Pontifices, S. Petrum imitatos, qui ad motas a Cerintho quæstiones dirimendas Apostolos, pluresque discipulos Antiochiam advocavit. Ad secundum respondeo iteratam Cæciliani causæ cognitionem in Concilio Arelatensi I. habitam fuisse, annuente Romano Pontifice S. Silvestro, non per modum appellationis, uti audacter contendebant Donatistæ, sed per modum simplicis revisionis. *Magnum enim discrimen est*, inquit Petrus de Marca lib.7., *inter appellationem, & revisionem. Illa namque integram causæ cognitionem transfert ad Judicem Superiorem, qui quæstionem excutit, ac definit in suo Tribunali: At revisio definitivum Judicium relinquit priori Jurisdictioni ea ratione, ut prioribus Judicibus novi adjungantur.* Jam vero Supremorum Magistratuum jus est, ut ab eorum appellari nequeat sententia, sed iis, qui de ipsorum justitia conqueruntur, præstari dumtaxat possit gratiosum beneficium revisionis, seu, ut ajunt, novæ Audientiæ. Inde fit, ut, dum ipsorum sententiæ revidentur, ac discutiuntur, alii quidem Judices advocentur, sed ipsi quoque Supremi Magistratus, plenum, liberumque habentes suffragium, assideant judicio, uti patet ex praxi, quam in omnibus fere Catholicis Regionibus vigere non ignoramus. Hoc jure potissimum gaudet Romanus Pontifex, uti plurima Ecclesiasticæ Historiæ monumenta testantur. Quamquam itaque finita jam esset Cæciliani causa per ultimum definitivum Melchiadis judicium; Cum tamen Donatistæ de ejusmodi judicii justitia conquererentur, & diro adhuc Schismate Africanam Ecclesiam dilaniarent; S. Silvester, Melchiadis Successor, ad eorum retundendam audaciam, & pacem in Africana Ecclesia stabiliendam, indulsit, ut Cæciliani causa in Concilio Arelatensi revideretur. *Dedit ille*, inquit S. Augustinus epist. 62., *aliud Arelatense judicium, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus*

bus cedens , & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere . Coactum itaque fuit hoc Concilium in Arelatensi Urbe mense Augusti ann. 314., cui, quatuor Pontificiis præsidentibus Legatis, videlicet Claudio, & Vito Presbyteris,& Eugenio,& Cyriaco Diaconis, secundum aliquos ducenti, secundum alios vero trigintatres Antistites ex Occidente interfuerunt, concordibusque suffragiis sententia Melchiadis in Concilio Romano prolata confirmata fuit. Ad tertium S. Augustinus ad confutandam Donatistarum audaciam, non modo Melchiadis judicium, sed Arelatensis Concilii sententiam, quæ illud confirmaverat, adducit, ut inde luce meridiana clarior appareret Donatistarum protervia in suo Schismate fovendo, propugnandoque. Quemadmodum enim Ecclesia ad confutandos Eutichianos non modo S. Leonis Tomum, quamquam sufficientissimum, sed etiam Chalcedonense Concilium, quod S. Leonis Tomum confirmavit, in medium semper adduxit; Ita S. Augustinus ad confutandos Donatistas, non solo usus est Melchiadis judicio, sed Concilium etiam Arelatense protulit, quod S. Melchiadis sententiam confirmavit. Ad quartum S. Augustinus non dicit, ad plenarium universæ Ecclesiæ Concilium appellari potuisse, sed causam solum Cæciliani in plenario Concilio revideri potuisse, uti manifeste significant ea verba: *ubi etiam cum ipsis Judicibus causa posset agitari*. In ipso enim plenario Concilio Romanus Pontifex vel per se, vel per Legatos suos una cum Episcopis, qui in Concilio Romano Cæciliani causam judicaverant, sedisset Judex, totique Concilio præfuisset. Generale autem Concilium aliquando utile est, & expedit, aliquando necesse est, ut celebretur, non quod sola Sedis Apostolicæ auctoritas ad condemnandos errores, aut Schismata extinguenda non sufficiat, sed quod propter hæreticorum, aut schismaticorum potentiam, & contumaciam difficillimum sit, ea exequi, quæ ad erroris, aut Schismatis extinctionem requiruntur. Eam ob causam Apostolica Sedes nonnumquam Romanas appellationes censuit in Œcumenica Synodo esse retractandas. Œcumenica enim Synodus, cum plurimis undequaque confluentibus componatur Episcopis, morum sanctitate, doctrinæque præstantia conspicuis, reverentialem quemdam metum Ecclesiæ hostibus incutit, eorumque ita frangit audaciam, ut quamquam ad illam provocarint, non tamen ad eamdem legitime congregatam audeant accedere. Ita Nestorius, qui Generalem Synodum postulaverat, cum illam Ephesi coactam vidit, eam adeo extimuit, ut eidem non adfuerit, ac de ipso post

post absolutam Synodum S. Cœlestinus Papa ita ad Ecclesiam Constantinopolitanam scripserit: *Quis petitorem Synodi crederet a Synodo absuturum? Campum ad certamen poscit: Sacerdotale postulat, cui non erat adfuturus, examen*. Alia ejusmodi exempla brevitatis gratia prætermitto.

CAPUT XII.

S. Athanasii Alexandrini Romana Appellatio.

SAnctus Athanasius Patriarcha Alexandrinus in odium Catholicæ Fidei ab Arianis, & Eusebianis per calumniam accusatus repetundarum, initi cum hostibus fœderis, confracti calicis, necis Arsenio illatæ, impudicitiæ, aliorumque criminum, ac in Tyria, & Antiochena Synodo injuste damnatus, suoque de gradu dejectus, ad S. Julium I. provocavit, qui in Petri Cathedra sedit ab anno 337. ad 352. Eusebianæ factionis homines rationem lati in Athanasium judicii reddituros Romam evocavit Julius, cumque eos per octodecim menses frustra expectasset, Athanasium in communionem recepit, suæ restituit sedi, ac restitutorias litteras ubique divulgavit. Is enim est præcipuus, ac primus admissæ appellationis effectus, ut latæ prius ab inferiori Judice sententiæ suspendatur executio, donec a Superiore vel per se, vel per alios causa retractetur, ac per ultimam definitivam sententiam præhabitum judicium aut confirmetur, aut rescindatur. Cum autem Julius propter Eusebianorum contumaciam utramque partem audire non potuisset; idcirco Tyriam, Antiochenam, aliasque Orientalium Synodos, a quibus Athanasius, pluresque alii Antistites, & Clerici damnati fuerant, non cassavit, & circumscripsit, sed retractatorium totius causæ judicium Sardicensi Synodo delegavit, ad quam, præter Hosium Cordubensem, aliquos è suo latere Legatos transmisit, causæ judicio cum potestate præfuturos, uti cap. 4. fusius diximus de Sardicensi Concilio disserentes.

At hic reponit Febronius cap. 5. §. 8. num. 1. „ Quod in primis „ ad causam S. Athanasii attinet; cum is citra omnem judiciorum for- „ mam, per vim, & ambitum, innocens, & absens damnatus esset, „ non solius Julii Papæ, sed omnium Occidentalium sententia, addi- „ tis etiam Ægyptiorum, & Orientalium quamplurimorum suffragiis, „ suæ sedi restitutus est. Scilicet Imperator Constantinus extraneorum „ illorum Episcoporum, qui Athanasium damnaverant, judicium, „ utpote contra leges latum, ratum non habuit, atque Episcopos Concilii

„ cilii ad se evocavit, ut facti sui rationem redderent. Athanasius ita „ damnatus non provocavit ad Romanum Pontificem, sed confugit „ ad Imperatorem, ut is, quæ contra formam judiciorum, & leges „ ab Adversariis facta fuerant, rescinderet, aut irrita declararet. Ad „ Sedem suam, & Ecclesiam recuperandam non impetravit Romani „ Pontificis auxilium, sed quemadmodum a Constantino fuerat expul- „ sus, ita a filiis ejus restitutus est. Athanasius Romam confugit, non „ quasi appellans, sed vim hostium metuens. Eusebiani ad Julium „ litteras miserunt, & ut nos terrerent, Synodum jusserunt convo- „ cari, & ei, si vellet, causæ arbitrium detulerunt, inquit Athana- „ sius Apolog. 3. pag. 739.; sicque Julius, tamquam Judex a partibus „ electus, potuisset Eusebianos ad se vocare, detrectantes damnare, „ atque Athanasium absolvere. Neutrum tamen fecit, nec ullum „ judicium tulit, sed tantum audita Athanasii Apologia, suam cum „ eo communionem confirmavit, & pro Episcopo ipsum habuit. „ Synodus Sardicensis ex Imperatorum rescripto causam Athanasii re- „ tractavit, eumque suæ Sedi restituendum declaravit. Is non con- „ tentus Occidentalium in hac Synodo sententia, Orientalium quo- „ que postulavit judicium, & ab his tum subscribentibus Synodicæ epi- „ stolæ Concilii, tum seorsim per eorum litteras, innocens decla- „ ratus est „. Hactenus Febronius, qui plura his verbis contendit, ac potissimum Athanasium ad Julium Papam non appellasse „: Athana- „ sius ita damnatus non provocavit ad Romanum Pontificem: non „ impetravit Romani Pontificis auxilium: Romam confugit, non quasi „ appellans, sed vim hostium metuens: Julius neutrum fecit, nec ul- „ lum judicium tulit „. Sunt ipsissima Febronii verba.

At ostendo jam ego, Athanasium non ex hostium metu, sed ad Romani Pontificis impetrandum auxilium, ejusque, tamquam Supremi Judicis, sententia suam a calumniis vindicandam innocentiam Romam venisse; Julium vero Pontificem suum in illius causa tulisse judicium. Ostendo 1. ex Historicis Ecclesiasticis celeberrimis, e quibus tres seligo vetustissimos, & Athanasio pene coævos. Socrates lib. 2. Histor. cap. 11. sic habet: „ Athanasius post diuturnos labores in Ita- „ liam pervenit ..... Eodem tempore Paulus Episcopus Constantino- „ polis, Asclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ, & Lucius Adrianopolis, „ alius ob aliam causam accusati, & Ecclesiis suis ejecti, Romæ om- „ nium Civitatum facile Principis versantes; Julium Episcopum Ro-

„ ma-

„ manum de suo ipsorum statu certiorem faciunt. Ille vero, quoniam „ Ecclesiæ Romanæ privilegium præter cæteras obtinebat, litteris suis „ ad Episcopos Orientis liberius perscriptis, illorum partes tueri studet. In Orientem litteras mittit, quo & suus cuique locus restitueretur, & eos, qui illos temere abjudicaverant, graviter reprehenderet. Illi decedunt Roma, litterisque Julii Episcopi confisi ad suas „ ipsorum Ecclesias redeunt „. Sozomenus lib. 3. Histor. cap. 7., commemoratis Athanasio, Paulo, Asclepa, Marcello, & Lucio, sic subdit: „ Quorum criminationes cum Episcopus Romanus intellexisset, „ & omnes Fidei Concilii Nicæni consentientes reperisset, in communionem recepit, & cum propter Sedis dignitatem cura omnium „ ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit, scripsitque „ ad Episcopos Orientis, eosque incusavit, quod inconsulto de hisce „ viris judicassent, Ecclesiasque perturbassent, cum decretis Nicæni „ Concilii stare nollent „. De Eusebianis vero loquens, addit Sozomenus, quod Julius iis „ dedit mandatum, ut quidam illorum, omnium nomine, ad diem constitutam accederent, perspicue declaraturi sententiam, quam de his tulerant, æquam, justamque esse „. Theodoretus lib. 2. Histor. cap. 4. sic scribit: *Ille*, videlicet Julius *Ecclesiæ Canonem secutus*, *& eos*, nempe Eusebianos, *jussit Romam venire*, *& Divinum Athanasium, quo pro se in judicio ipse responderet, vocavit. Qui ut primum fuit accersitus, eo mature contendit. Tragœdiæ autem Auctores Romam ideo non sunt profecti, quod intellexerunt, sua mendacia manifeste fore deprehensa*. Tribus hisce antiquissimis Historicis recentiorem adjungo, quem consulere nos jubet loco citato Febronius, videlicet Natalem Alexandrum. Is dissertat. 22. ad sæculum quartum, hanc propositionem, quam secundo loco statuit, solidis probat argumentis: *Julius Pontifex causæ Athanasii cognitionem suscepit, deque illa judicavit summo jure, & Apostolica primæ Sedis auctoritate, non vero ut arbiter dumtaxat a partibus electus*.

Ostendo 2. ex epistolis Romanorum Pontificum, ac præsertim S. Julii, cujus unius, uti patet, abunde sufficere posset testimonium. Julius igitur in Epistola, quam, suadente Concilio Romæ habito in causa S. Athanasii, ad Orientales, ac præsertim Eusebianos, rescripsit, sic habet: *Legati vestri Martyrius Presbyter, & Hesychius Diaconus nullo modo, cum huc venissent, pares Presbyteris ab Athanasio missis, ac semper ab illis convicti, refutatique Concilium indici postularunt, litterasque & ad Eusebianos, & ad Athanasium Alexandriam, quibus convocarentur, mitti,*

ut

ut coram omnibus justo judicio de causa cognosci posset: tunc enim se de Athanasio probaturos esse, quod jam nequirent. Publice enim coram nobis Martyrius, & Hesychius refellebantur, Athanasii Presbyteris bona cum fiducia alacriter resistentibus. Martyrius vero cum suis ubique profligabatur, ac proinde Concilium postulavit. Mox objurgat Eusebianorum contumaciam, qui Romam ad Synodum acciti venire noluerunt, ac subdit: „ Scripsere prius „ Eusebius cum suis contra Athanasium, scripsistis & vos in præsentiarum: scripsere etiam plurimi ex Egypto, & ex aliis Provinciis Episcopi pro Athanasio: nam quod ante omnia observari oportet, litteræ vestræ adversus Athanasium inter se pugnant, & primæ cum secundis nullum concentum habent, sed in plerisque a secundis destruuntur, & secundæ a primis redduntur suspectæ: ex discrepantitibus autem litteris nulla certitudo constitui potest. Quod si vestris litteris fidem dari postulatis, æquum est & litteris eorum, qui pro eo scribunt, fidem non abnegare, & maxime quod, vobis a patria ejus longe distantibus, illi, qui in iisdem locis cum Athanasio degunt, ut de homine noto, rebusque ibi gestis certiores, probum testimonium de vitæ ejus innocentia perhibent, affirmantes, eum nonnisi confictis criminibus opprimi „. Ostendit deinde singillatim falsitatem omnium criminationum, quæ Athanasio objiciebantur, prout coram se in Concilio eædem ex testibus fide dignis, actisque legitime confectis ostensæ fuerant falsæ, ac ita pergit: „ Hæc, ut jam exposui, „ pro se dicebat Athanasius, & rem ita esse ex actis declarabat, idem affirmantibus cæteris, qui cum eo erant &c. Quin & alibi falsa dixisse Ischyram, ex ipsis actis comprobatum est ab Athanasio, quippe qui in crimine de combustis libris falsi convictus sit ab iis, quos in testes adduxerat. Cum igitur istiusmodi allegarentur, & tot testes pro Athanasio starent, & ipse tam justa pro se afferret; quid quæso nos oportuit facere? annon quod Ecclesiastici Canonis est? hominemque proinde non condemnaremus, sed potius reciperemus? Eumque pro Episcopo, quemadmodum est, haberemus? Præter hæc omnia, annum totum, & integros sex menses apud nos hæsit vestram præsentiam expectans, aut quotquot comparere auderent, suaque præsentia pudefecit omnes. Non enim judicio stetisset, nisi sui fiduciam habuisset, neque sponte, sed litteris nostris ad judicium vocatus comparuisset; quemadmodum vos per litteras citavimus; & tamen post tanta argumenta nos veluti insolitum quiddam agentes reprehenditis „.

Pergit mox aliarum contra Athanasium, & Marcellum Ancyranum criminationum falsitatem ostendere, atque Eusebianorum scelera recensere: tum addit: *Non solum Athanasius, & Marcellus Episcopi cum querimoniis de illatis injuriis, sed & plurimi alii Episcopi ex Thracia, Cælesyria, Phœnicia, Palæstina huc convenere: Presbyteri item non pauci partim ex Alexandria, partim aliunde huc ad Concilium accurrerunt, & coram omnibus Episcopis ibi congregatis inter reliqua dicta sua conquesti sunt, vim, & injuriam Ecclesiis illatas esse, suasque Ecclesias eadem, qua Alexandrina, passas esse, & in aliis Ecclesiis similia designata. Ex Ægypto autem, & Alexandria cum denuo supervenissent Presbyteri, litteras secum attulere, quibus plurimorum Episcoporum, & Presbyterorum querimonia continebatur, se, cum huc ad Concilium pergerent, detentos fuisse, atque etiamnum detineri.* Describit hìc Julius crudelitatem, furoremque, quem adversus Episcopos, & Ecclesias exercuerant Eusebiani; & subdit: „ Si, ut dicitis, omni-
„ no in culpa fuerunt „ (videlicet Athanasius, Marcellus &c.) „ opor-
„ tuit secundum Canonem, & non isto modo judicium fieri: oportuit
„ scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus nobis, quod justum esset,
„ decerneretur. Episcopi enim erant, & non vulgaris Ecclesiæ, qui
„ ista patiebantur, sed quam ipsi Apostoli suamet opera ad fidem in-
„ struxerunt. Cur igitur, & in primis de Alexandrina Civitate nihil
„ nobis scribere voluistis? an ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut
„ primum nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, definiri posset?
„ Quapropter si isthìc hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat,
„ id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Nunc autem nos, quos
„ certiores minime fecerunt, postquam jam egerint, quod libuit, suf-
„ fragatores suæ damnationis, cui non interfuimus, esse volunt. Non ita
„ se habent Pauli Ordinationes, non ita Patres docuerunt, sed fastus
„ iste, & novum studium est &c.

Julii I. dictis aliorum quatuor Summorum Pontificum testimonia adjungamus. S. Bonifacius I. in litteris datis ad Rufum Thessalonicensem Episcopum, ejusque Collegas omnes in Illyrico, per quas Alexandrinæ, Antiochenæ, aliisque in Oriente Primatialibus Cathedris suas servat, & confirmat dignitates, sic habet: „ Sed quia res postulat, ap-
„ probandum documentis est, maximas Orientalium Ecclesias in ma-
„ gnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majori, Sedem sem-
„ per consuluisse Romanam, & quoties usus exegit, ejus auxilium po-
„ stulasse. Sanctæ memoriæ Athanasius, & Petrus, Alexandrinæ Sa-
„ cer-

„ cerdotes Ecclesiæ, hujus Sedis auxilium postularunt „. S. Cœlestinus I. in Epistola ad Clerum, & Populum Constantinopolitanum, agens de Clericis a Patriarcha Nestorio degradatis, ac relegatis, inquit: *Habetis vos, quicumque ex Ecclesia estis ejecti, pene nostrorum temporum beatæ recordationis Athanasii Alexandrinæ Ecclesiæ prudentissimi Sacerdotis exemplum. Fugatus illinc*, videlicet ex Oriente, *in nostris partibus roboratus est. Denique hic ei redintegratus est status, & in hac Sede quietem communionis invenit, a qua semper Catholicis subvenitur*. S. Felix III. in Litteris, quibus Acacium ad suum evocavit Tribunal, inter cætera hæc habet: „ Superveniens Frater, & Coepiscopus noster Joannes fugatus ab „ Hæreticis Pervasoribus Sedis Alexandrinæ, libellum nobis, quem „ sanctæ memoriæ Prædecessori meo paraverat porrigendum, ingessit. „ Quem morem Majoris sui beatæ memoriæ Athanasii exemplo, & „ priorum nostrorum non potuimus refutare „. S. Gelasius in litteris ad Dardaniæ Episcopos ait: „ sed nec ista præterimus, quod Apostolica Se- „ des frequenter more Majorum, etiam sine ulla Synodo præcedente, „ & absolvendi, quos Synodus inique damnaverat, & damnandi, nul- „ la existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ „ memoriæ quiqpe Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem „ tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non „ consensit, absolvit.

Ostendo 3. Ex Synodo Sardicensi, ex Synodo Alexandrina, & ex ipso S. Athanasio. Sardicensis Concilii Patres in epistola Synodica, quam, absoluta Synodo ad Ecclesiam Alexandrinam scripserunt, sic habent: „ Jam ergo „ Ariani, seu Eusebiani „ diffisi suis fabulis, & va- „ nis rumoribus, & coram intuentes, quam non possent de iis rebus „ justa documenta afferre, cum essent in Urbe Sardica, non ausi sunt „ in Concilio Sanctorum Episcoporum apparere. Qua ex re æquitas ju- „ dicii Fratris, & Coepiscopi nostri Julii liquidissime apparuit, qui non „ temerario consilio, sed matura deliberatione sententiam tulit, adeo „ ut nihil relinquatur dubii de communione Fratris nostri Athanasii &c. Et infra enumeratis calumniis, quas Eusebiani adversus Athanasium intentaverant, subdunt: *Quid igitur, dilecti? Ne hic quidem Frater noster Athanasius animum despondit, sed magna cum fiducia eos etiam in hac causa ad judicium provocavit*. Iidem Sardicensis Concilii Patres in Synodica Epistola, quam ad omnes Ecclesiæ Episcopos scripserunt, fere sub initium ajunt: *Cum igitur jam pridem litteras suas accusatrices de Athanasio, Mar-*

Marcello, & Asclepa Comministris nostris Eusebiani ad Julium Romanæ Ecclesiæ Episcopum misissent, contigit, ut etiam alii ex aliis locis Episcopi ad eumdem Julium litteras suas mitterent, quibus & Athanasii innocentiam, & Eusebianorum Sycophantiam contestabantur; atque id ita esse ex eo præcipue apparuit, quod accersiti a dilecto nostro Comministro Julio, judicio non steterunt: stetissent enim, si sui, auctorumque suorum in Comministros nostros fiduciam habuissent. Alexandrinæ Synodi Patres in Synodica Epistola, quam ad Julium Pontificem, omnesque Orbis Christiani Episcopos miserunt, postquam in ea Athanasii innocentiam, & Eusebianorum immanitatem, atque injustitiam invicte probassent, ita subdidere: *Vos certe vindices hujus injustitiæ appellamus citantes illud Apostolicum verbum: auferte mala ex vobis.* S. Athanasius in Apologia 2. contra Arianos prope initium de sua causa sic scribit: *Quod ad nos attinet, judicio nullo opus est: Judicatum est enim non semel secundum nos, sed sæpius. Primum quidem in nostra Provincia, cum ad id coiissent propemodum centum Episcopi. Secundo Romæ nobis, cæterisque Adversariis Eusebii ad ejus criminosas litteras in judicio comparentibus: fuere autem in eo consessu plures, quam quinquaginta Episcopi. Tertio iterum in magno Sardico Concilio ad edictum religiosissimorum Principum Constantii, & Constantis, in quo judicio ita ceciderunt adversarii, ut habiti pro calumniatoribus depositionem, exauctorationemque ordinis sui retulerint; nostram vero innocentiam plures, quam trecenti Episcopi suis calculis comprobarint.*

Ostendo 4. paucis recensendo, quæ usque ad Sardicense Concilium in causa S. Athanasii gesta sunt. Cum Ariani cujusdam Presbyteri dolo Constantinus Magnus Arium ab exilio revocasset, illum S. Athanasius Alexandrinus Episcopus, quamquam diu, multumque rogatus, in suam recipere noluit communionem. Hinc adversus Athanasium Arianorum furor exarsit, qui proinde, cum Antiochiæ anno 329. in Synodum coacti Eustathium Antiochenum, & Asclepam Gazensem per summam injustitiam deposuissent, simile quid in Athanasium moliri cœperunt. Quare illum de tot, tantisque criminibus apud Constantinum accusarunt, ut is anno 331. Synodum Cæsareæ habendam indixerit, in qua Athanasii causa ageretur. Verum cum Cæsaræensis Antistes Eusebius Ario esset addictus, adeoque Athanasio suspectus; præcepit Imperator, ut Tyri Synodus haberetur, uti testantur Eusebius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, S. Epiphanius, & S. Athanasius apud Natalem Alexandrum Histor. Eccl. ad Sæcul. 4. cap. 3.

cap. 3. §. 3. Athanasius ab Imperatore ad Synodum venire jussus, ad eam, licet invitus, cum 49. Ægyptiis Episcopis se contulit. Aderant jam ex variis Provinciis alii sexaginta Episcopi, sed plerique Ariani, quos inter uterque eminebat Eusebius. Hos ubi adesse viderunt Athanasius, & Ægyptii Antistites, eos in causa Judices recusarunt: apertos enim esse Athanasii hostes ignorabat nemo. At eorum exceptionis nullam Eusebiani rationem habentes, nullumque servantes juris ordinem, conficta Athanasii crimina in examen vocant. Criminationes omnes tam perspicue solvit Athanasius, ut hostes pudore suffusi, cœcoque acti furore, vix non ei violentas manus intulerint. Quamobrem is ex judicio clam se subducens Constantinopolim profectus est: Ægyptii vero Episcopi scriptis ad Dionysium Comitem, qui Synodo præerat, litteris postularunt, ut causæ cognitio Imperatori reservaretur. At a cœptis Ariani non destitere, absentemque Athanasium deponentes, eidem interdixerunt, ne Alexandriam rediret: ad omnes autem ubique Episcopos scripsere, ne Athanasio jungerentur, neve ad eum litteras mitterent, aut ab eo reciperent. Interea Constantinopoli degens Athanasius, Constantino, qui equo vectus Urbem lustrabat, se in conspectum dedit, ab eoque petiit, ut Eusebianos iniqui adversum se lati judicii rationem daturos evocaret. Annuit Imperator, eosque ad se evocavit: solus tamen Eusebius cum aliis tribus accessit, novasque molitus calumnias tantam adversus Athanasium in eo concitavit iracundiam, ut eumdem ille Treviros relegaverit, quo se Athanasius contulit anno 336., ibique ad ann. 338. per biennium, & quatuor menses permansit.

Tyriam hanc Synodum fuisse Pseudo-Synodum, Conciliabulum, & Latrocinium potius, quam Conventiculum, patet 1. ex eo, quod neque *illam indixerat, neque illi aderat Romanus Episcopus, neque quemquam, qui ejus locum suppleret, eo miserat, cum tamen canon Ecclesiasticus jubeat, non oportere absque sententia Romani Episcopi decreta Ecclesiis sancire*, ut inquit Socrates, falsitatem, nullitatemque Concilii Antiocheni ostendens, de quo inferius loquemur. 2. ex eo, quod illam solus Laicus Princeps Constantinus Imperator indixit, in ea Episcopos Judices, quos Ariani designarant, constituit, militare præsidium addidit cum Comite Dionysio Consulari Phœnices, totumque judicii ordinem ita evertit, ut Episcopi non a Diaconis, ut Ecclesiasticus erat mos, sed a Spiculatoribus, & Commentariensibus in templum deducerentur,

omnia-

omniaque armorum turbaret tumultus. Constant hæc ex Imperatoris litteris ad Synodum, in quibus hæc habet: *Cuncta, quæ litteris vestris significastis, a me impleta sunt: scripsi ad quos voluistis Episcopos ...... Si quis vero, quod minime arbitramur, præceptum nostrum etiamnum violans adesse renuerit, mittetur quamprimum a nobis, qui Imperiali auctoritate hominem in exilium pellens docebit, Imperatoris sanctionibus pro veritate editis minime esse repugnandum*. Quamobrem in ea Synodo Sæcularis Magistratus Tyrannice dominabatur, totaque suffragandi pro veritate libertas Catholicis adempta erat Episcopis. „ Qua fronte „ igitur, uti habetur in Synodica Synodi Alexandrinæ pro Athanasio ad Julium Pontificem, omnesque Catholicos Episcopos Epistola, quam refert Sanctus Athanasius in Apolog. 2. „ qua fronte talem conventum Synodum „ appellare audent, cui Comes præsedit, & ubi Spiculator apparebat? „ & Commentariensis, sive Carcerarius pro Diaconis ad Ecclesiam „ adventantes introducebat? ubi Comes verba faciebat, cæteri præ- „ sentes in silentio erant, vel potius Comiti obsequium suum accom- „ modabant? ubi quod communiter Episcopis placuit, ab illo impe- „ diebatur? Ille Imperio utebatur, nos a militibus ducebamur, vel „ potius jussis Eusebianorum, sententiisque ipse Comes inserviebat? „ In summa, dilectissimi, quæ species ibi Synodi, ubi vel cædes, vel „ exilium, si Cæsari placuisset, constituebatur? „ Si ergo Ægyptii Episcopi Catholici, qui huic Conciliabulo aderant, per litteras a Dionysio Comite postularunt, ut Athanasii causæ cognitio Imperatori reservaretur; si Athanasius ipse Constantinum adiit, idque ab eo petiit, ut Eusebianos, qui omnem juris, & æquitatis legem fregerant, Imperatoris auctoritate, vi, potentiaque abutentes, ad reddendam audaciæ suæ, nequitiæque rationem ad se evocaret; Id non fuit ab Ecclesiastica legitima Synodo ad Sæcularem Principem appellare, sed ab inaudito Sæcularis potestatis abusu, ac violentia ad Sæcularis Principis justitiam, ac æquitatem confugere, ut is totius rei certior factus omnem suæ potestatis abusum impediret, debitamque Orthodoxis Episcopis in Ecclesiasticis negotiis deliberandi libertatem restitueret. Audiatur Constantinus ipse in litteris, quibus Episcopos, qui Tyri convenerant, ad se evocavit, & quas Athanasius refert in sua Apologia: „ Equidem „ ignoro, quænam sint a vestra Synodo turbulenter, ac tumultuose „ judicata. Veritas quippe tumultu, ac contentione quadam oppressa „ videtur, vobis scilicet ob mutuam contentionem, quam invictam

„ vul-

„ vultis, quæ Deo placent, minime ſpectantibus..... Quocirca vos „ omnes quamprimum pietatem noſtram convenire volo, rerum „ a vobis geſtarum accurate rationem coram reddituros.... Athana- „ ſius nihil ſe poſtulare dixit, quam ut vos huc concedere juberem, „ quo præſentibus vobis de illatis ſibi injuriis poſſet conqueri: quod „ cum mihi æquum, temporique congruum viſum ſit, hæc libenti „ animo ad vos ſcribenda juſſi, ut quotquot Tyri congregatam Sy- „ nodum compoſuiſtis, quam maturrime ad exercitium meæ clemen- „ tiæ properetis &c. „. Hæc ad Arianos Epiſcopos ſcripſit Conſtantinus, cujus rectum erat cor; quamquam mox novis Euſebii, aliorumque fraudibus circumventus, quæ humanæ mentis eſt imbecillitas, Treviros Athanaſium ablegavit.

Verum cum poſt biennium in morbum, ex quo occubuit, Conſtantinus incidiſſet, de Athanaſio, aliiſque Orthodoxis Epiſcopis in varias Imperii partes relegatis ad Sedes ſuas revocandis præceptum tulit, quod tamen nonniſi poſt ejus obitum Filii Conſtantinus, Conſtantius, & Conſtans executioni demandarunt. Extat de Athanaſii reditu Conſtantini Filii ad Alexandrinam Eccleſiam epiſtola, quam Athanaſius refert in Apologia adverſus Arimin. „ Nec Sacræ mentis veſtræ „ notitiam præteriiſſe arbitror, ideo Athanaſium adorandæ legis In- „ terpretem in Gallias ad quoddam tempus miſſum fuiſſe, ut ne im- „ manium ejus hoſtium feritas, quæ in periculum Sacri illius capitis „ imminebat, eorumdemque improborum perverſitas ad nefaria ſuſti- „ nenda eum cogeret.... Proinde etſi Dominus Noſter Conſtanti- „ nus Auguſtus pater meus veſtræ dilectiſſimæ pietati eum reſtituere „ decreverat; quia tamen humana ſorte præoccupatus, antequam vo- „ tum expleſſet ſuum, ex hac vita migravit; conſentaneum mihi exi- „ ſtimavi Divæ Memoriæ Imperatoris propoſitum hæreditate acceptum „ exequi. Athanaſius quantæ nobis fuerit venerationi, cum ad con- „ ſpectum veſtrum venerit, cognoſcetis. Treviris 15. Calendas Ju- „ lias anno 338. „ Quanta Athanaſium reducem voluptate exceperunt Clerus, & Populus, tanta etiam exarſerunt ira factionis Arianæ homines: quare ſeditionibus exortis, aditus patuit novis adverſus Athanaſium calumniis, & criminationibus, quibus Conſtantium Arianis jam partibus addictum Euſebiani vehementer adverſus illum concitarunt. At cum Epiſcoporum Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis teſtimoniis detectæ calumniæ omnes evanuiſſent; Euſebiani ad Julium Pontificem ſcri-

scripserunt, Athanasium accusantes, Legatosque misere Macarium Presbyterum, & Martyrium, & Hesychium Diaconos, qui Synodi Tyriæ acta deferentes, ab eo postularunt, ut latam a Tyriis Patribus Sententiam confirmaret. Verum suos quoque Presbyteros Romam misit Athanasius, qui tanta perspicuitate Eusebianorum calumnias diluerunt, ut Legatorum Princeps Macarius præ confusione, & metu Roma aufugerit, reliqui vero duo a Julio petierint, ut Synodum indiceret, litterasque ad Athanasium, & ad Eusebianos mitteret, eos ad Synodum vocans, in qua & ipsi se omnia contra Athanasium allata probaturos pollicebantur, ut de iis coram omnibus justum posset proferri judicium. Concilium intra certum tempus Romæ celebrandum Pontifex indixit: At certi jam erant Eusebiani, quemadmodum comprobavit eventus, numquam sui periculum in Concilio facere, ubi, ut inquit S. Athanasius, *nec Comes aulæ corruptus, partique deteriori addictus esset adfuturus, nec Satellites præ foribus excubarent, nec ex Cæsaris præscripto omnia fierent*.

Dum hæc agerentur, Athanasius ad suam vindicandam innocentiam, Synodum Alexandriæ convocavit, ad quam centum propemodum Episcopi convenerunt, concordibusque suffragiis Encyclicam conscribentes, eam una cum authenticis documentis pro Athanasii innocentia, & cum Alexandrini Cleri protestationibus adversus Tyrios Legatos ad Julium Papam, aliosque Episcopos transmiserunt.

At Eusebiani, cum eos Constantius ad aureæ Ecclesiæ dedicationem Antiochiam vocasset, Synodum ea occasione habere statuerunt, in qua cum de Fide, tum de Ecclesiastica Disciplina agerent. Nonagintaseptem Episcopi, quorum quadraginta erant Ariani, ad Encænia celebranda convenerunt; quibus peractis, in Synodum coeuntes, primum formulam fidei suspectam ediderunt; mox 25. Canones statuerunt quoad disciplinam, quorum quartus præcipit, ut si Episcopus a Synodo dejectus, aut Presbyter, vel Diaconus ab Episcopo suo depositus partem aliquam Sacræ functionis attigerit, priusquam ei a Synodo, vel ab Episcopo facta fuerit venia, spe careat sacræ dignitatis recuperandæ; undecimus vero, ac duodecimus graves irrogant pœnas Clericis illis, qui vel præterito Episcopo, vel ab eodem damnati, querelas suas deferunt ad Imperatorem, quem Canonem, ut aliqui volunt, Ariani corruperunt hunc alium substituentes; ut Clerico jure, vel injuria deposito sine majoris Synodi assensu redire non liceat: Si vero auctori-

ctoritate sua locum amissum recuperare ausus fuerit, nulla admissa excusatione exturbetur. Quidquid sit de hac re, ex his Canonibus Eusebiani occasionem criminandi ceperunt, & Athanasium accusandi, quod a Tyria Synodo dejectus functiones muneris sui per Ægyptum rursus obiret, & quod causam suam ad Constantinum Magnum detulisset, neque expectasset, ut eadem in majore Synodo discuteretur. Quare, postquam, dimisso Concilio, in Ecclesias suas Orthodoxi Episcopi remeassent, quadraginta Eusebiani Antistites, qui aderant, simul convenientes, propter modo dictas accusationes, & propter alias calumnias, ac præsertim eas, quæ in Tyria Synodo prolatæ fuerant, Athanasium ab Episcopatu deposuere, ac Successorem ei, primo quidem Eusebium Emissenum, mox, cum is Alexandrinum Episcopatum acceptare nollet, Gregorium Cappadocem constituerunt, qui armata manu, annuente Constantio, multorum cum cæde, ac immanibus sceleribus, Sedem Alexandrinam occupavit. Athanasius hæc videns, & Julii litteris evocatus Romam venit, ubi perhonorifice exceptus est. Post hæc Elpidium, & Philoxenum Presbyteros cum litteris ad Eusebianos Julius mittit, illisque tempus præstituit, intra quod Romam se conferrent Synodo interfuturi. Nondum Antiochia discesserant Eusebiani Antistites, cum allatæ sunt Pontificis litteræ; quibus acceptis, auditoque Athanasii Romam adventu, tanto sunt terrore perculsi, ut Presbyteros a Pontifice missos ultra præfinitum tempus detinuerint. Tandem illos dimiserunt cum Epistola ad Julium, quæ plena cavillationis, & minarum gravissimarum futilem sui non adventus excusationem continebat. Interea Asclepas Gazensis, Marcellus Ancyranus, Lucius Adrianopolitanus, aliique plures Orthodoxi Episcopi, ac Presbyteri, alii aliam ob causam accusati, suisque ab Ecclesiis pulsi, cum Romam pervenissent, causam suam Julio exposuerunt, de illatis sibi calumniis, atque injuriis conquerentes. Quamobrem Julius, ex Eusebianorum responsione spem sibi præcisam de illorum adventu intelligens, Romæ congregat Episcopos prope quinquaginta, perlectaque coram iis Eusebianorum Epistola, auditaque Athanasii, aliorumque defensione, quæ ex actis legitimis, testiumque dictis peracta de more fuit, ex unanimi omnium suffragio Athanasium, aliosque ad suam communionem admisit, suisque sedibus restituit. Ad Eusebianos vero gravem rescripsit epistolam, qua illos objurgat, reosque declarat: Athanasium autem, aliosque per calumniam, & injuriam accusatos, vexatosque

 fuisse

fuisse ostendit. Eusebianos quoque arguit, quod, Athanasii causa Romam delata, ac nondum a Pontifice definita, ausi fuissent in Antiochena Synodo Gregorium Cappadocem in Athanasii locum intrudere, & Alexandriæ Episcopum consecrare. Quomodo deinde indictum, celebratumque fuerit Sardicense Concilium, & quid in eo Patres decreverint, superius diximus cap. 5., & inferius quoque suo loco dicemus.

At enim plura repones cum Natali Alexandro, & cum Febronio. 1. Ille vere ad Superiorem appellat, qui prior ab alterius judicio adversum se lato ad Superiorem provocat, ut judicium ab alio pronunciatum Superior auctoritate sua retractet, ac recognoscat; & siquidem illud a rectitudine deficere deprehendat, corrigat, aut infirmet, ac revocet. Verum Athanasius non ad Julium provocavit prior, neque prior de Tyriæ Synodi judicio apud illum conquestus est. Priores enim Eusebiani querimonias ad Julium contra Athanasium detulere, Concilium indici postulantes, in quo ea probare possent, de quibus Athanasium accusabant. 2. Julius in suis Epistolis nullam interpositæ ab Athanasio appellationis mentionem facit, quam tamen facere debuisset, si ille vere appellasset. 3. Cum Athanasius se Romam contulit, nullum aderat Ecclesiasticum Judicium, a quo appellaret. Extraneorum enim Episcoporum, qui in Tyria Synodo Athanasium damnaverant, ratum non habuit judicium Constantinus, ad quem Athanasius confugit postulans, ut quæ contra formam judiciorum, ac leges facta ab Adversariis fuerant, rescinderet, aut irrita declararet. Et sane Constantinus Tyrii Concilii Episcopos, ut facti sui rationem redderent, ad se evocavit; ac præterea, antequam moreretur, revocari ab exilio jussit Athanasium. quemadmodum post Constantini obitum ab ejus filiis Constantino, Constante, & Constantio revocatus fuit. Non igitur ad Julium Athanasius vere appellavit.

Resp. ad primum, *Appellationis* vocabulum usurpari dupliciter posse; primo modo, ut solam appellationis substantiam, naturamque significet; altero modo, ut, præter substantiam, solemnitates quoque complectatur, quæ longe post Sardicensem Synodum, primum ex consuetudine, deinde ex Juris sive Civilis, sive Canonici præcepto, appellationi accesserunt, cujusmodi sunt, ut is, contra quem ab inferiori Judice sententia lata est, prior ad Superiorem Judicem intra præscriptum tempus appellet; libellum appellationis Judici, a quo appellat, & Judici, ad quem provocat, certis quibusdam solemnitatibus adhi-

adhibitis, exhibeat, aliæque hujusmodi plurimæ. Jam vero cum de causa Athanasii loquimur, quam in gradu appellationis retractatam a S. Julio, ac definitam fuisse contendimus; non secundo modo, sed primo *appellationis* vocabulum usurpamus: fatemur enim, adhibitas in ea causa non fuisse ejusmodi solemnitates; at constat etiam, tunc, & per priora sæcula non fuisse necessarias. Appellationis autem substantia, ac natura sita in eo potissimum est, ut Judex appellationis, ad quem de præhabiti Judicii rectitudine querimonia, aut controversia defertur, (undecumque tandem, & quomodocumque deferatur) non tamquam Judex a partibus electus, sed jure suo, propriaque auctoritate judicium præhabitum retractet, ac discutiat, & post maturum causæ totius examen, latam ab inferiori Judice sententiam vel confirmet, vel corrigat, vel infirmet, ac deleat: Interea præhabiti Judicii suspendatur executio, nullamque in ea causa prior Judex jurisdictionem, aut potestatem exerceat. Profecto Eusebiani, ut Romanum Pontificem præoccuparent, & Athanasium perterrefacerent, priores ad Julium scripserunt, suosque per Legatos ad eumdem miserunt condemnatoriam, quam adversus Athanasium tulerant, sententiam. At suos quoque Athanasius Romam Legatos misit, qui suam coram Pontifice innocentiam tuerentur, indictaque a Julio Synodo ad ejus causam retractandam, Romam ad Judicium statim accurrit. Perhonorifice a Julio exceptus, apud illum hæsit annum totum, & integros sex menses, Eusebianos expectans, aut quotquot comparere auderent, suaque præsentia pudefecit omnes, ut inquit ipse Julius in Epistola superius citata ad Orientales. Post moram temporis tam diuturnam, cum Eusebiani, quamquam a Julio tum per Legatos in Orientem missos, tum per epistolas, quibus Synodus indicebatur, citati, ut præsto esse vellent Romæ ad causæ totius examen in Concilio habendum, non comparuissent; Julius in Synodo totam Athanasii causam discussit, testes audivit, acta omnia perlegit, detectisque per authentica documenta Eusebianorum dolis, malis artibus, ac calumniis, Tyriæ Synodi sententiam, tamquam injustam, infirmavit; Athanasium vero tamquam innocentem in suam communionem recepit, suæ restituit Sedi, ac restitutorias ubique litteras divulgavit, ut apud Ecclesiam universam ab impactis calumniis ejusdem innocentiam vindicaret. Quæ quidem omnia aliis etiam pluribus præstitit Episcopis, ac Presbyteris, qui ab Eusebiani divexati, damnatique in Tyria Synodo, Romam accesserant, ut apud Pontificem conquere-

quererentur. Scripsit quoque, uti superius diximus, ad Eusebianos, certioresque eos fecit de toto judicio, quo Athanasii causam retractaverat, eorumque sententiam, tamquam injustam, resciderat: eos autem Canonicis pœnis non corripuit, ut paterna clementia uteretur, futurum sperans, ut resipiscerent, & Catholicos tandem vexare desinerent; quamquam mox, cum hæc eum spes fefellisset, totam Athanasii, aliorumque causam Sardicensi Concilio revidendam commisit, in quo, uti superius ostendimus, Julii sententia confirmata fuit, iterumque declaratus innocens, suæque restitutus Sedi Athanasius, Eusebiani vero Antistites Canonicis multati fuerunt pœnis.

Ad secundum: Hæc sunt Julii verba in citata Epistola ad Orientales. „ Annum totum, & integros sex menses apud nos hæsit „ Athanasius „ vestram præsentiam expectans, aut quoquot comparere auderent, suaque præsentia pudefecit omnes. Non enim in judicio stetisset, nisi sui fiduciam habuisset, neque sponte, sed litteris nostris ad judicium vocatus comparuisset, quemadmodum vos per litteras citavimus „; Et post alia interjecta subdit: „ Non solum Athanasius, & Marcellus Episcopi cum querimoniis de illatis injuriis, sed & plurimi alii Episcopi ex Thracia, Cælesyria, Phænicia, Palæstina huc convenere. Presbyteri item non pauci partim ex Alexandria, partim aliunde huc ad Concilium accurrerunt, & coram omnibus Episcopis ibi congregatis inter reliqua dicta sua conquesti sunt &c. „ Tandem quidquid de Julii judicio in causa Athanasii hactenus diximus, ab ipso Julio in eadem epistola diserte narratur. Abstinet quidem Julius ab hac voce *Appellationis*: sed quid inde, cum in causa Athanasii ea omnia concurrisse scribat, quæ ad appellationis substantiam, ac naturam pertinent? Nos autem hic non de nomine, sed de re disputamus.

Ad Tertium: Cum Athanasius se Romam contulit, a nemine revocatum fuerat judicium adversus eumdem in Tyria Synodo pronunciatum; imo summa animi contentione Eusebiani ejusdem executionem urgebant. Quamquam autem Constantinus ab Athanasio rogatus ad se Antistites, qui Synodo interfuerant, evocasset; Hi tamen Cæsaris mandato non obtemperarunt, neque Athanasius coram illis tueri apud Imperatorem potuit innocentiam suam, & Laicæ Potestatis, quod unice intendebat, abusum, & vim a se, & a reliquis Orthodoxis arcere: Imo novis calumniis ab Eusebio apud Constantinum cumulatus, Treviros in Galliam abire jussus est, uti ex Ecclesiasticæ Historiæ monumentis

pa-

patet. Præcepit quidem Constantinus moriturus, ut ab exilio Athanasius revocaretur, & eum sane post Imperatoris obitum ejus Filii revocarunt: At altissimum semper super Tyriæ Synodi Judicio tum Imperator, tum ejus filii silentium tenuerunt. Contra vero Eusebiani post Athanasii reditum tum per litteras, tum per Legatos a Julio Summo Pontifice postularunt, ut is Tyriæ Synodi judicium Apostolica auctoritate confirmaret, cumque illum postulatis abnuere cernerent, ab eo petierunt, ut Concilium indiceret, in quo omnia Athanasii crimina, quæ in Tyria Synodo in medium protulerant, se probaturos pollicebantur. Indicta a Julio Romana Synodo, Eusebiani in Concilio Antiocheno, uti diximus, novum instituerunt judicium, in quo Tyriæ Synodi sententiam confirmantes, Athanasio Gregorium Cappadocem in Alexandrina Sede surrogarunt. De utroque judicio conquestus apud Julium est Athanasius: utrumque judicium, uti patet ex dictis, retractavit, matureque discussit Julius, utrumque Apostolica auctoritate reprobavit, in suam communionem recipiens, & Alexandrinæ Sedi restituens Athanasium.

Urgebis cum Petro de Marca, ex quo non secus ac ex Paschasio Quesnello, plura in librum suum transtulisse videtur Febronius: *Nihil aliud ab Orientalibus*, verba sunt Petri de Marca, ubi argumento respondet petito ex toties laudata epistola Julii ad Orientales „ exigebant „ Julius, & Romana Synodus, quam ut causæ Ecclesiarum Apostolicarum, inprimis vero Alexandrinæ, quoties de depositione Episcoporum earum Sedium ageretur, cum Papa, & Synodo Romana „ communicarentur, antequam Synodi Orientales cognitionem de iis „ instituerent, ut communi sensu componi possent magnæ Ecclesiæ. „ Quod si post judicium Orientalium querela manifestæ oppressionis deferretur ad Synodum Occidentalem, tunc retractandum esset negotium in Concilio Occidentalium, & Orientalium. Unde constat in „ Epistola non agi de appellatione; sed de prima tantum causæ cognitione, aut revisione, neque excitatam controversiam de omnibus „ Episcopis, sed de iis tantum, qui Apostolicis Ecclesiis præsiderent, „ inprimis de Alexandrino, ac tamen judicium reddi non debere a solo „ Romano Episcopo cum Episcopis Occidentalibus, sed ab Episcopis „ Occidentis, & Orientis in unam sententiam conspirantibus. Ista „ enim colliguntur ex Epistola Julii, qua Orientales objurgat in causa „ Athanasii Episcopi Alexandrini, & Marcelli Ancyrani, quos Orientis Concilia damnaverant, inconsulto Episcopo Romano „. Hactenus de Marca.

Re-

Respondeo, in epistola Julii post Synodum Romanam scripta ad Orientales agi potissimum de appellatione, non de prima dumtaxat instantia, seu de revisione. Julius enim in laudata Epistola frequenter dicit, citatos a se per Legatos, ac litteras fuisse Eusebianos ad retractatorium in alma Urbe judicium, quod ipse in Synodo habiturus erat super judicio in Tyria Synodo ab Eusebianis pronunciato: *Quid actum est*, sunt ejus verba, *dignum offensa? aut qua in re vobis, quibus scripsi, causam succensionis præbui? An quia adhortati vos sumus, ut ad Synodum occurreretis? Atqui illud potius cum gaudio excipi oportuit. Qui enim bene sentiunt de iis, quæ egerunt, & in quibus ipsi, ut ajunt, Judices fuere, non indignanter ferre solent, si quod ab ipsis judicatum est, ab aliis excutiatur: quippe qui securi sint, ea, quæ ipsi justa prædicaverunt, injusta numquam posse fieri.* Narrat præterea Julius, se ante Synodum Legatos tum ab Eusebianis, tum ab Athanasio missos diligenter audivisse, in Synodo vero se criminationes omnes adversus Athanasium, necnon Athanasii defensiones, testes, authentica documenta, actaque omnia Tyriæ Synodi, ac sententiam ab eadem Synodo prolatam sedulo examinasse: mox reprobatum a se fuisse Tyrium Eusebianorum judicium, Athanasium vero, Marcellum, aliosque Antistites declaratos a se fuisse innocentes, suisque Sedibus restitutos. Tandem huic suo judicio obtemperandum esse ab Eusebianis edicit. At certe hoc Julii judicium non est, uti patet, primæ instantiæ, seu primæ cognitionis judicium: neque est revisio: nullus enim ex iis Episcopis, qui in Tyria Synodo judicium protulerant, una cum Julio in Romana Synodo tamquam Judex interfuit; quod tamen ad revisionis essentiam pertinere, ipse Petrus de Marca docuit, uti capite superiori vidimus. Est igitur vere appellationis judicium. Agit quidem Julius, sed obiter in extrema epistolæ suæ parte de prima instantia, ubi videlicet affirmat tantarum Sedium Episcopos sine prævia ad Romanam Sedem relatione, ac sine ejusdem rescripto degradari non potuisse.
„ Oportuit secundum Canonem „ ita Julius scribit „ & non isto modo
„ judicium fieri. Oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omni-
„ bus, quod justum esset, decerneretur. Episcopi enim erant, &
„ non vulgaris Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quam ipsi Apostoli
„ suamet opera ad fidem instruxerunt. Cur igitur, & in primis de Ale-
„ xandrina Civitate, nihil nobis scribere voluistis? an ignari estis, hanc
„ consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc, quod ju-
„ stum est, definiri possit? Quapropter si isthic hujusmodi suspicio in

„ Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri „ oportuit „. At nihil inde erui potest, & nihil aliud per ea verba Julius contendit, quam ostendere, omnia Eusebianorum Acta in Tyria Synodo esse undequaque reprobatione, & execratione dignissima, tum quia contra Sacros Canones, & Ecclesiasticam consuetudinem cuncta gesta fuerant, tum quia, cum meris omnia inniterentur calumniis, turpissime per eadem Justitiam læserant, ac Religionem.

Quod autem ab eodem de Marca subditur, *in Epistola Julii non de omnibus Episcopis excitatam esse controversiam, sed de iis tantum, qui Apostolicis Ecclesiis præsiderent*, id falsum omnino est. Ex una enim parte Julius inquit: *Non solum Athanasius, & Marcellus Episcopi cum querimoniis de illatis injuriis, sed & plurimi alii Episcopi ex Thracia, Cœlesyria, Phœnicia, Palæstina huc convenere &c.*, quos inter recensentur Paulus Constantinopolitanus, Lucius Adrianopolitanus, Asclepas Gazensis &c.: Ex alia vero parte testatur Sozomenus lib. 3. cap. 8., Julium horum omnium causam in Synodo Romana retractasse; quod quidem colligitur etiam ex Epistola Synodica Sardicensis Concilii. At certe, quamquam concedamus Athanasium, & Marcellum Apostolicis præsedisse Ecclesiis; non tamen id de Asclepa, cæterisque Episcopis, qui contra Eusebianos ad Julium appellarunt, dici potest. Triplex enim est Apostolicarum Ecclesiarum species. Prima est earum, quæ Apostolicam habent Sedem, vel quia in illis Apostolorum Princeps sedit, vel quia illas speciali ratione fundavit, Tres autem hæ sunt, Romana, Alexandrina, & Antiochena. Romanam, & Antiochenam Petrus ipse gubernavit: Alexandrinam vero per Discipulum suum Sanctum Marcum speciali ratione fundavit. Secunda species illas Ecclesias complectitur, quas Apostoli fundarunt, suisque ad illas scriptis epistolis decorarunt, cujusmodi sunt Corinthia, Philippensis, Ephesina &c. Tertia species est illarum, quas Apostolorum Discipuli, ac Successores, ac Romani Pontifices erexerunt, & in dies erigunt, quæ tamen, quia eamdem Orthodoxam Fidem profitentur, dicuntur *Apostolicæ* solum *ex consanguinitate doctrinæ*, inquit Tertullianus in libro præscriptionum. Hæ autem omnes Ecclesiæ simul junctæ sunt illa una Apostolica Ecclesia; quam in Symbolo profitemur. Petrus de Marca loquitur, & quidem recte, de prima, & secunda specie. At ex Episcopis, qui ad Romanam Synodum accurrerunt, & coram Julio conquesti sunt, Athanasius Apostolicam Ecclesiam occupabat primæ speciei, Marcellus vero Eccle-

siam

siam secundæ speciei, quia Apostolus Paulus Ancyranam Ecclesiam per Epistolam ad Galatas scriptam edocuit, ac illustravit: Reliqui vero nulli ejusmodi Apostolicæ præerant Ecclesiæ, eorum tamen omnium causam Julius in Synodo, ut diximus, retractavit, suisque omnes sedibus, rescissa Eusebianorum sententia, restituit. Falsum ergo est, Julium in sua epistola de iis tantum Episcopis fuisse locutum, qui Apostolicis præsiderent Ecclesiis. Et sane rationem, propter quam Julius edicit, secundum Canonem deponendos non fuisse ab Episcopatu, nisi prævia relatione ad Romanum Pontificem transmissa, acceptoque ejusdem rescripto hanc adducit: *Episcopi enim erant, qui ista patiebantur*, quæ quidem ratio communis est omnibus Episcopis. Addit deinde ad augendum Eusebianorum crimen, *& non vulgares Ecclesiæ, sed quas ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerunt*. Cum enim Eusebiani Athanasium Alexandrinum, & Marcellum Ancyranum vehementius præ reliquis insectarentur, & adversus eos crudelius desævirent; Idcirco specialem eorumdem mentionem in epistola Julius facit, cumque ii honorabiliores sedes, videlicet Apostolicas, obtinerent, ostendit proinde majorem fuisse Eusebianorum audaciam, qui illos è Sedibus suis deposuerant: Quoniam autem Alexandrina Sedes post Romanam nobilior erat, ac princeps; idcirco inquit: *cur igitur, & in primis de Alexandrina Civitate, nihil nobis scribere voluistis?* At cum dicit *& in primis*, videlicet *& potissimum*, sane aliarum Ecclesiarum Episcopos non excludit, de quibus omnibus proinde loquitur, cum ea subdit, quæ sequuntur: *an ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, definiri possit? Quapropter si isthic hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit.*

Quod autem in loco citato subdit Petrus de Marca, Apostolicarum Ecclesiarum Antistites a totius Ecclesiæ Concilio judicari debere, falsissimum est. Non id certe docet Julius, cum dicit: *oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod justum esset, decerneretur*: hæc enim verba explicat per ea, quæ subdit: *Quapropter si isthic hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit*. Utrobique ergo loquitur de Romana Ecclesia, seu de Apostolica Sede, quæ ad res gravioris momenti discutiendas, definiendasque cogere, uti suo loco diximus, Romanam Synodum solebat, cui Provinciæ Romanæ Episcopi intererant, quemadmodum in hac Athanasii Causa Romanam Julius coegit Synodum, cui quinquaginta Ro-

Romanæ Provinciæ Antistites interfuerunt. Hanc autem Romanæ Ecclesiæ prærogativam, de qua loquitur Julius, esse *secundum Canonem*, & *secundum consuetudinem*, ipse Julius in eadem Epistola manifeste affirmat. Neque id, quod Marca asserit, ullus Canon, aut ullus Pontifex docet. Imo Patriarcharum causas privative spectare ad primam Romani Pontificis cognitionem, eosque sine prævia ad illum relatione, ac sine accepto ejusdem rescripto a nulla Synodo damnari posse constat ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, ex Patrum traditione, ex Apostolicis Canonibus, quos Liberius Papa ad Eusebium Constantii Imperatoris Eunuchum scribens ait *esse canones, quos Apostolorum Princeps Petrus Romanæ tradidit Ecclesiæ*. Qui plura super hac re velit, consulat Christianum Lupum lib. de Romanis Gallicanæ Ecclesiæ appellationibus cap. 29.

CAPUT XIII.

Romana Pauli Episcopi Constantinopolitani Appellatio.

CUM S. Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum jam jam moriturum Clerici de successore deligendo interrogassent; *Si Virum*, ille inquit, *pietate præditum, simulque idoneum ad docendum quæritis, habetis Paulum Presbyterum. Sin hominem ad res Sæculares, & ad loquendum cum Judicibuc aptum vultis, potior est Macedonius Diaconus, & Senex*. Hoc audito, in duas Civitas abiit partes: Paulum enim Orthodoxi, Macedonium vero Ariani Episcopum exoptabant. Mortuo Alexandro, prævaluit Paulus, quamquam junior, eumque Episcopi tunc in Urbe commorantes consecrarunt. Illum jam olim per calumniam a Macedonio accusatum in Pontum Constantinus Magnus relegaverat. *Etiam huic crimen objectum fuerat* (scribit S. Athanasius in epistola ad Solitarios) *idque falsum fuisse, vel inde colligas, quod qui illum reum fecit, Macedonius, nobis in ea accusatione præsentibus, cum reo suo, cujus Presbyter erat, communionem sumpsit*. At ubi illum jam constitutum Episcopum vidit Eusebius Nicomediensis, calumniari apud Constantium cœpit ejus electionem, & mores, ut eodem extruso, ipse tantæ Urbis Episcopus renunciaretur. *Huc ubi oculos suos*, inquit in laudata epistola Athanasius, *adjecisset Eusebius; ut raperet Episcopatum ejus (eodem enim modo a Beryto Nicomediam transiliit) non defuit in Paulum species calumniæ*. Quamobrem reversus Constantinopolim Constan-

tius, collecto Arianorum Concilio, Episcopatum Paulo, quasi indigno, abstulit, deditque Eusebio Nicomediensi, qui hoc aliis suis sceleribus adjecit, ut contra Ecclesiæ leges, proprio grege deserto, alienum occuparet Episcopatum. At, eo post biennium mortuo, cum Ariani Macedonium surrogassent, Catholici denuo Paulum in Ecclesiam introduxerunt. Orta proinde inter Cives seditione, Imperator, qui Antiochiæ erat, Magistrum Militum Hermogenem misit, qui Paulum armato Milite ab Ecclesia exturbaret. Verum exacerbati cives Hermogenem, incensa ejus domo, pedibus trahentes interemerunt. Constantius, audita Hermogenis cæde, Constantinopolim statim accurrit, iramque suam in Paulum vertens, eum a Civitate pelli jussit. Is autem Romam se contulit, & apud Julium Pontificem de acceptis injuriis, ac de Arianorum sententiæ in Concilio latæ iniquitate, ac injustitia conquestus est.

Paulum peramanter excepit Julius, causaque discussa in Romana Synodo, illum in communionem recepit, suæque restituit Sedi, datis ei restitutoriis litteris, quibus in suo Episcopatu reponi jubebatur. Ad illos, *qui Antiochiæ in unum convenerant*, scribit Sozomenus lib. 3. cap. 10., videlicet ad Eusebianos *Julius scripsit, atque adeo incusavit, quod clam contra fidem Concilii Nicæni novas res moliti fuerant, quodque contra leges Ecclesiæ ipsum ad Concilium non vocaverant. Nam legem esse ad Sacerdotis dignitatem spectantem, quæ pronuntiat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur. Ea autem, quæ Tyri, & in Mareote adversus Athanasium decernebantur, iniqua esse &c: Postremo litterarum pertinaciam reprehendit. Quibus omnibus rationibus adductus est, ut Athanasio, & Paulo opem ferendam judicaret*. Verum cum nihil his Julii litteris Paulus profecisset (obsistebant quippe Arianæ factionis homines) cum Athanasio Constantem adiit, ac Synodum fieri postulavit: Episcopis enim facultatem fecerat Julius, teste S. Athanasio in epistola ad Solitarios, ut, ubicumque vellent, Synodus haberetur. Celebratum proinde fuit Sardicense Concilium, in eoque Patres, retractata Pauli causa, Julii sententiam confirmarunt. Dilatus adhuc ad aliquod tempus fuit, Arianorum opera, Pauli in suam Sedem regressus. At minacibus fratris sui Constantis litteris victus Constantius Paulo redeundi facultatem concessit. Eo autem Constantinopolim ingresso, Macedonius se subduxit, suosque conventus privatim egit, uti testantur S. Hilarius in fragmentis, & Sozomenus lib. 3. cap. 24.

Mor-

Mortuo Constante, desævire iterum cœpit in Orthodoxos Episcopos Constantius Arianorum factioni addictissimus, quare Philippo Præfecto Prætorii mandavit, ut Paulum ab Ecclesia pellat, in ejus vero locum Macedonium inducat. Paulus itaque catenis vinctus, uti narrat S. Athanasius in epistola ad Solitarios, in Singra Mesopotamiæ deportatus est, inde Emesam, ex Emesa tandem Cucusum Cappadociæ ad deserta Tauri. Hic in angusto, & tenebroso loco inclusus fuit, ut fame interiret. Cum autem post sex dies ingressi Eusebiani hominem adhuc spirantem invenissent, illum per vim strangulaverunt, ac subdole sparserunt in Vulgus, eumdem gravi morbo fuisse extinctum. Tantum vero Fidei Athletam Ecclesia veneratur ut Martyrem, quemadmodum ex Martyrologio Romano patet ad sextam Septembris diem.

CAPUT XIV.

Romana Asclepæ Gazensis, & Lucii Adrianopolitani Appellatio.

CUstodem Nicænæ Fidei pervigilem, & eximia morum sanctitate conspicuum Asclepam Gazæ Episcopum, acerrime oderant Ariani, quem proinde, ut ab Episcopali Sede deturbarent, multis onerarunt calumniis, ac præsertim, quod Altare evertisset, multisque seditionibus publicam pacem perturbasset. *Asclepas Gazæ Episcopus*, inquit Sozomenus lib. 3. cap. 7., *cum doctrinæ Arianæ adversaretur*, *in crimen vocatus est ab Arianis*, *quod Altare everterit*, *& propterea fuit abdicatus*. Imo Conventiculum ipsum Philippopolitanum sic de Asclepa loquitur: *In Civitate Gaza Provinciæ Palestinæ Asclepas altare comminuit*, *multasque seditiones effecit*. Quamquam autem in Antiochena Synodo ab impactis criminationibus se purgasset; ab Episcopatu tamen per summam injuriam pulsus fuit. *Asclepas Comminister noster in Sacris*, inquit Synodica epistola Concilii Sardicensis ad omnes Catholicæ Ecclesiæ Episcopos, *prolatis Actorum monumentis Antiochiæ confectis docuit*, *cum ibi simul*, *& accusatores*, *& Eusebius Cæsaræensis adessent*, *judiciis Episcoporum*, *qui huic causæ præsidebant*, *se innocentem pronunciatum esse*. Imo, quod iniquius est, Quintianum Arianum hominem in Gazensi Episcopatu surrogarunt. Asclepas pulsus ab Ecclesia sua Romam venit, & Julium Pontificem appellavit. Interea Eusebiani per litteras Athanasium, Marcellum, & Asclepam apud Julium accusarunt: *Cum igitur jampridem*, sic in laudata Synodica legimus, *litteras suas accusatrices de Athanasio*,

Marcello, & Asclepa Comministris nostris Eusebiani ad Julium Romanæ Ecclesiæ Episcopum misissent, contigit, ut etiam alii ex aliis locis Episcopi ad eumdem Julium litteras suas mitterent. At Julius Asclepam in Romana Synodo, post maturam causæ discussionem, una cum S. Athanasio, aliisque cum Episcopis suæ restituit Sedi; & hanc Julii sententiam Sardicensis Synodus confirmavit. „ Nos dilectos Fratres „ inquiunt Patres Sardicenses in citata Synodica „ & Comministros nostros Athanasium, Marcellum, Asclepam cum cæteris Comministris nostris innocentes, & puros pronunciamus, litteris ad singulas Parœcias missis, ut populi cujusque Ecclesiæ cognoscant sui Episcopi sinceritatem, eumque pro Episcopo & habeant, & expectent: istos autem more Luporum in horum Ecclesias invadentes, Gregorium, inquam, in Alexandriam, Basilium in Ancyram, Quintianum in Gazam, eos neque Episcopos appellent, neque ullam cum eis communionem habeant, aut litteras recipiant, aut vicissim mittant „.

Lucius Adrianopolitanus Episcopus, Orthodoxæ Fidei zelo, vitæque sanctitate spectabilis, cum Arianis esset invisus, plurima ab iis perpessus est, donec eorum opera per calumniam accusatus, quod sacrificium ab Arianis Sacerdotibus confectum canibus projici jussisset, in Eusebianorum Conciliabulo ab Episcopatu depositus fuit. Venit is Romam, & ad Julium provocavit, a quo in Romana Synodo una cum Athanasio, Marcello, aliisque Episcopis innocens declaratus est, suæque Sedi restitutus, uti narrant Socrates lib.2. cap.11., & Sozomenus lib.3. cap.7., quorum verba cap.15. retulimus. Retractata vero ejus causa in Concilio Sardicensi, sententiam, quam Julius tulerat, Concilii Patres confirmarunt. At Adrianopolim reversum Lucium furore perciti Ariani una cum aliis plurimis Orthodoxis in odium Catholicæ Fidei interemerunt. Fit eorum mentio in Romano Martyrologio ad diem 11. Februarii his verbis: *Adrianopoli Sanctorum Martyrum Lucii Episcopi, & Sociorum ejus, qui sub Constantio ab Arianis multa perpessus, in vinculis martyrium consummavit: Cæteri vero Nobiliores Civium, cum Arianos in Sardicensi Concilio tunc recipere noluissent, a Philagrio Comite capitalem sententiam exceperunt*.

CA-

CAPUT XV.

Romana Marcelli Ancyrani Appellatio.

MArcellum Ancyræ Episcopum, ac primæ Galatiæ Metropolitam vehementer oderant Eusebiani. Multiplex autem suberat istiusmodi odii causa. Prima fuit, quod in Nicæno Concilio Marcellus Arianis contradixit, & in sententiis dicendis cum Ariana hæresi fortiter dimicavit. *Marcelli fides*, inquit Julius I. in epistola ad Orientales Eusebianæ factionis, *confessioque Nicææ spectata est, cum Arianis contradiceret*; & infra subdit: *Et nostri Presbyteri, qui tunc in Nicæno Concilio aderant, de ipsius recta fide contestabantur: nam & eum tunc quoque in sententiis dicendis dimicasse cum Ariana hæresi testes fuere.* Alteram caussam tradit Sozomenus lib. 2. cap. 31., quod videlicet in Tyria Synodo damnationi S. Athanasii, & in Hierosolymitana restitutioni Arii noluit consentire. Tertia tandem fuit, ut idem Sozomenus loco citato refert, quod communicare Eusebianis, extructamque a Constantino Magno Hierosolymis Basilicam cum iis dedicare detrectavit. His de causis illi magno furore succensi in Synodo Constantinopolitana de hæresi, quam in Libro quodam *de æterno Christi regno* illum docuisse dictitabant, accusarunt, & tamquam de hæresi convictum de Episcopatu dejecerunt, ac Fidelium communione privarunt. Ei præterea Successorem in Ancyrana Sede surrogarunt Basilium, omniaque libri, quem ediderat, exemplaria perquiri, & exuri jusserunt. Hanc autem damnationis sententiam mox in Antiochena Synodo confirmarunt, geminamque fidei professionem adversus Marcelli hæresim condidere, cui omnes subscribere jussi sunt.

At Marcellus his affectus injuriis, ad Julium I., cui Eusebius Nicomediensis hanc Marcelli hæresim, & condemnationem jam retulerar, provocavit, Romamque profectus in Urbe diu perstitit, donec libellum Pontifici obtulit, in quo omnia causæ suæ acta recenset, & ab illatis injuriis reparari Pontificia auctoritate postulat. Hæc præ cæteris in eo habet: „ Cum nonnulli ex iis, qui, quod parum integre de Fide „ sentirent, antea condemnati sunt, quique a me in Nicæna Synodo „ convicti sunt, contra me ad pietatem tuam scribere non dubitaverint, „ me nec recte, nec cum Ecclesiæ doctrina consentanee de fide statuere, „ ut suum crimen in me transferrent, propterea necessario Romam mihi „ veniendum, & te commonendum putavi, ut eos, qui contra me „ scri-

„ ſcripſerunt, accerſeres, ut,cum adveniſſent,de duobus illis a me con-
„ vincerentur, cum illa ipſa falſa eſſe, quæ in me ſcripſerunt, tum eos
„ adhuc in priſtino errore perſeverare, & indigna quædam adverſus
„ Eccleſias Dei, ac nos ipſos illarum Præſides eſſe machinatos. Sed
„ cum illi venire noluerint, tametſi Presbyteros ad illos miſeris, ego
„ vero anno integro, & tribus menſibus Romæ commoratus fuerim,
„ faciendum mihi omnino cenſui, ut antequam hinc proficiſcerer, meæ
„ fidei profeſſionem tibi ſincere, atque ex animo, meaque manu per-
„ ſcriptam offerrem „. Adjungit mox ſuæ fidei profeſſionem cum inte-
gro Apoſtolico Symbolo, ac petit ab illatis injuriis reparari. Libellum
hunc, & egregiam, qua apud Julium ſe Marcellus ab hæreſis crimina-
tione purgavit, Fidei profeſſionem, refert S. Epiphanius, ubi de Mar-
cello Ancyrano fuſe tractat.

Marcelli cauſam in Synodo Romana diſcuſſit Julius, eumque ab hæreſis criminatione liberavit,ſuæque Sedi reſtituit, uti patet ex epiſtola toties citata S. Julii ad Orientales, ubi ſic de Marcello loquitur: „ De
„ Marcello autem, poſtquam de illo quoque ut impio in Chriſtum per-
„ ſcripſiſtis nobis, ſtudui ſignificare, eum, cum huc veniſſet, affir-
„ maſſe falſa eſſe, quæ de ſe in litteris veſtris ſcripta eſſent: ſed tamen
„ cum a nobis poſtularetur, ut de fide diceret, tanta cum fiducia per
„ ſe reſpondit, ut nemo non perciperet, eum nihil a veritate profiteri
„ alienum; ſed eadem cum pietate, qua Eccleſia, de Domino, ac
„ Salvatore noſtro ſentire, neque jam tantum modo, ſed jam olim
„ hujus ſententiæ ſe fuiſſe confirmabat, uti & noſtri Presbyteri, qui
„ tunc in Nicæno Concilio aderant, de ipſius recta fide conteſtaban-
„ tur. Nam & eum tum quoque in ſententiis dicendis dimicaſſe cum
„ Ariana hæreſi, teſtes fuere, cujus quoque vos admonitos velim, ne
„ quis talem hæreſim approbet, ſed abominetur ut alienam a ſana do-
„ ctrina. De viro igitur, quem rectæ opinionis, & ſinceræ religionis
„ eſſe teſtimoniis approbatum eſt, quid quæſo nos facere oportuit?
„ Anne ut eum pro Epiſcopo haberemus, quemadmodum habemus?
„ An potius a Communione repelleremus? Hæc quidem ego non
„ tamquam eorum cauſam agens ſcribo, ſed ut & vobis fidem facerem,
„ viros iſtos juſte, & canonice a nobis receptos eſſe, & vos minime
„ habere cauſam litigandi: par autem eſt, ut ſtudium adhibeatis, &
„ omnibus modis elaboretis, ut quæ contra Canonem acta ſunt, emen-
„ dationem accipiant, & Eccleſiæ pacem habeant &c.

Quem-

Quemadmodum Athanasii, Pauli, Lucii &c., ita etiam Marcelli causam retractandam Julius dedit Concilio Sardicensi, & in eo, Julii sententia confirmata, suæ Marcellus restitutus est Sedi, & Canonicis Eusebiani multati sunt pœnis. RectamMarcelli fidem sic exponunt Concilii Patres in sua Synodica ad omnes Catholicæ Ecclesiæ Episcopos. *Recitata quoque sunt scripta Collegæ nostri in Sacris Marcelli, & deprehensa est Eusebii dolosa vafrities. Quæ enim Marcellus per modum quæstionis tractaverat, & tamquam ita esse profiteretur, calumniati sunt. Recitata quoque sunt in his quæstionibus, quæ intercederent, & subsequerentur, & inventa est bona, & recta fides istius viri: Non enim ex Maria, ut ipsi asseverabant, Verbo Dei initium attribuit, neque finem ejus regno constituit, sed regnum ejus initio, & fine carere scriptis prodidit.* Quid autem de Marcello, ejusdemque libro factum postea fuerit, non est hujus loci, & hujus temporis enarrare. Videri potest Christianus Lupus in Scholiis, & Notis ad Canones Sardicenses in dissertatione de Synodo Sardicensi cap. 6.

CAPUT XVI.

Ursacii, & Valentis ad Romanum Pontificem tamquam ad supremum Ecclesiæ Judicem recursus.

URsacius a Singidono Mysiæ, & Valens a Mursis Pannonicis Episcopi, Arianorum post Eusebium facile Principes, & crudelissimi Athanasii hostes, quem in Pseudo-Synodis Tyria, & Antiochena damnaverant, deposuerant, excommunicaverant, tum propter Arianam hæresim, tum propter perpetrata in Athanasium, aliosque Orthodoxos crimina exauctorati in Sardicensi Concilio ab Officio Episcopatus fuerant, & ab omni fidelium communione secreti. Cum autem in Illyrico, quod ad Constantis Augusti dominium pertinebat, Episcopatum suum obtinerent; omnia a Constantis invicta religione metuentes suorum criminum pœnitentiam ostenderunt, aut saltem simularunt.
„ His conspectis „ inquit S. Athanasius in Apologia secunda „ de se
„ jam desperantes Ursacius, & Valens, Romam profecti, peccata sua
„ cum pœnitentia confessi sunt, gratiamque facti postularunt, litteras-
„ que & ad Julium veteris Romæ Pontificem, & ad nos quoque in hanc
„ formam misere, quorum exempla mihi transmissa sunt a Paulino
„ Episcopo Tiburis. Epistola ad Julium Romanum. Quandoquidem
„ satis constat, & nos superioribus temporibus multa gravia de Atha-

„ na-

„ nasio per epistolas criminatos fuisse, & tuæ humanitatis litteris admonitos, ut crimina probaremus, numquam earum rerum documenta afferre potuisse; Ideo confitemur tuæ humanitati coràm universis nostris fratribus Presbyteris omnia, quæ ante hac ad vestras aures de Athanasio perlata fuere, falsa, & ficta esse, & omnibus modis ab eo aliena: ac proinde recipimus ejus Communionem, maxime quia tua in Deum pietas veniam secundum genuinam suam probitatem nostro errori impertiri dignata est. Quin & hoc promittimus, numquam, si aliquando Orientales, atque adeo ipse Eusebius velit malitiose eum in judicium vocare, nos citra tuam sententiam eo abituros. Hæreticum porro Arium, ejusque propugnatores, qui dicunt, erat, quando non erat, Filius; Aut eum ex non ente ad essentiam emersisse; aut qui neget, Christum Deum esse Dei Filium ante sæcula, quemadmodum in priori libello nostro Mediolani edidimus, & nunc, & semper anathemate damnamus, nostraque manu denuo protestamur, nos Arianorum hæresim, ejusque auctores in æternum damnare. Ego Ursacius, cum præsens meæ confessioni interessem, subscripsi; quod itidem & Valens fecit „. Subdit deinde Athanasius eorumdem epistolam ad ipsum Athanasium scriptam, in qua sic ajunt: *Scire te volumus, pacem tibi nobiscum esse, & communionem Ecclesiasticam intercedere, cujus rei fidem esse volumus nostram istis litteris inscriptam salutationem*.

Cum igitur Ursacius, & Valens a Sardicensi damnati Concilio, Romam accesserint, & coram Romano Pontifice sua crimina confitentes, eorum veniam poposcerint, ut ab illo Fidelium communioni, suisque Sedibus restituerentur; jam facto ipso professi palam sunt, se in eo Supremum Ecclesiæ Judicem agnoscere, a quo, etsi per Occidentis, atque Orientis Synodum damnati, in gradum tamen, & communionem non per justitiam, sed per dispensationis gratiam reparari possent, quemadmodum de Marcione diximus cap. 8. At qui supremam hujusmodi in universa Ecclesia obtinet potestatem, id quoque profecto juris habet, ut causam quamlibet a Concilio jam definitam, undecumque ad eum deferatur, per novum Judicium in gradu appellationis retractare, ac recognoscere possit, ultimaque prolata sententia definire. Quod autem Apostolica Sedes quorumvis Episcoporum, ac Synodorum judicia, etiamsi justa sint, solvere per dispensationis gratiam possit, hoc eodem Ursacii, & Valentis exemplo probat S. Hilarius Pi-

Pictavienſium Antiſtes in Commentario ad Synodales Sardicenſis Concilii litteras, ubi in fragmentis ſic habet: *Quam opportunitatem nacti Urſacius, & Valens, Romanæ Plebis Epiſcopum adeunt, recipi ſe in Eccleſiam deprecantur, & in communionem per veniam admitti rogant. Julius ex conſilio veniam, quam orabant, impertit, ut cum lucro Catholicæ Eccleſiæ vires quoque detraheret Arianis, cum eos, qui veritatem ante turbaverant, conſilii hujus, & audaciæ pœnitentes in communionem Catholicam per veniam reconciliatæ pacis admitteret.* Quamobrem merito Henrico Leodienſi Epiſcopo, qui ob Diœceſanum quemdam ſuum Romæ abſolutum in litteris ad Gregorium VII. datis de Apoſtolica Sede conqueſtus amare fuerat, perinde ac ſi non haberet Romanus Pontifex quoſcumque, & ubicumque ligandi, ſolvendique poteſtatem, ſic reſcripſit: *Intelligas, te aut præſumptionis ſpiritu, aut ignorantia, contra auctoritatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ verba jactaſſe, quaſi imitando Orientales, qui contra Beatum Papam Julium obloqui præſumpſerunt, eo quod ipſe Sanctiſſimum Athanaſium Patriarcham ſine eorum conſenſu abſolverat.* Orientalium vero nomine Euſebianos Epiſcopos Gregorius intelligit, qui in Philippopolitano Conciliabulo Julium Romanum Pontificem gradu, & communione per inauditum facinus privarunt, quod Athanaſium, Paulum, Aſclepam, alioſque Orthodoxos Antiſtites, ac Preſbyteros in Euſebianorum Synodis damnatos ſine eorum conſenſu, imo iis reluctantibus, in ſuam recepiſſet communionem, ſuiſque gradibus reſtituiſſet.

P A R S III.

An Sardicenſe Concilium Romano Pontifici quamdam dumtaxat decernendæ reviſionis auctoritatem tribuerit?

C A P U T I.

Referuntur Sardicenſes Canones de Romanis appellationibus, & ratio inquiritur, propter quam conditi fuerint.

EA, quæ recenſuimus, exempla ſatis eſſe reor, ut pateat, etiam ante Sardicenſe Concilium in uſu fuiſſe Romanas ex qualibet mundi parte appellationes, multaſque a Romano Pontifice in gradu appellationis ſive per ſe, ſive per alios cauſas fuiſſe diſcuſſas, ſuprema-

 que

que sua auctoritate definitas. Non ergo jus recipiendarum ab omnibus Mundi partibus appellationum est, uti contendit Febronius, privilegium adjectitium, Romanoque Episcopo a Sardicensi Synodo concessum, quæ per hujusmodi concessionem novum aliquid, & antea insuetum introduxerit. Proferendi nunc in medium sunt ii de Romanis Appellationibus Canones, quos Sardicensis Concilii Patres condidere, & investiganda ratio est, propter quam eos condiderint, ut ad tertiam deinde, quam adversus Febronium agitamus, controversiam delabamur, utrum videlicet Sardicense Concilium *Romano Pontifici*, uti Febronius loquitur, *non verarum appellationum Jus, sed quamdam tantum decernendæ revisionis auctoritatem tribuerit*, an potius, uti nos propugnamus, verarum appellationum jus, eidem jure divino ratione Primatus jurisdictionis, ac Supremæ Potestatis competens, declaraverit, suisque legibus adversus hæreticorum pervicaciam, furoremque communierit?

Cum Ariani, seu Eusebiani non modo Nicænam Fidem, sed Ecclesiasticam etiam disciplinam modis omnibus evertere conarentur; Concilii Sardicensis Patres, ut his conatibus occurrerent, plures condidere Canones, quibus disciplinam Ecclesiæ integram conservarent, &, ubi lapsa esset, celeriter instaurarent. Tres autem ex iis circa Romanas versantur appellationes, & apud Dionysium Exiguum sunt tertius, quartus, & septimus; sed hic postremus rectius in Græca collectione est quintus, & nos hic quintum nominabimus.

Tertius Canon solum quoad ultimam sui partem de appellationibus loquitur, & sic habet: *Si aliquis Episcoporum judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum Concilium* (seu ut aliæ Latinæ collectiones cum Græca habent, *judicium*) *renovetur; Si vobis placet; S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Julio Romano Episcopo: & si judicaverit, renovetur, & det Judices: Si autem probaverit, talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt; quæ decreverit, confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus respondit: Placet.*

Quartus Canon hic est: *Gaudentius Episcopus dixit: Addendum, si placet, huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulisti; ut cum aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in Urbe Roma; alter Episcopus in ejus Cathedra post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omni-*

omnino non ordinetur; *nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata*. Hunc Canonem non quidem ad verbum, sed ad sensum adducit S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus in libello appellationis ad Nicolaum I. Romanum Pontificem hoc pacto: *Si quis Episcopus fuerit depositus, dicatque se habere defensionem, non prius sufficiatur in locum ejus alius, quam de eo Romanæ Ecclesiæ Pontifex decernat*.

Quintus tandem Canon, apud Dionysium Septimus, his verbis exprimitur: *Hosius Episcopus dixit: Placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum dejecerint; Si appellaverit, qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit, se audiri; si justum putaverit, ut renovetur Judicium, vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo Presbyteros mittat; erit in potestate Episcopi, quid velit, & quid æstimet; Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, a quo destinati sunt; erit in suo arbitrio. Si vero crediderit, Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant; faciet, quod sapientissimo Consilio suo judicaverit*.

Ante Eusebianæ Factionis ortum nemo fuerat, qui non Supremam in Romano Pontifice jurisdictionem, potestatemque dignosceret, nemo, qui nobilissimum eidem eripere jus auderet recipiendi ex omnibus terræ partibus appellationes. Sola Africana Ecclesia, uti superius vidimus cap. 12., peculiari consuetudini, ac statuto innixa contendebat, Clericis suis, qui essent Episcopis inferiores, quamlibet Transmarinam, adeoque Romanam etiam appellationem esse interdictam: At illam Episcopis licere nullo umquam tempore dubitavit, uti patet ex iis, quæ diximus cap. 12. ex S. Cypriano, & cap. 14. ex S. Augustino. Priores Eusebiani Romanæ Sedis Primatum labefactare conati sunt, audacterque negarunt, licere Orientalibus a suorum Conciliorum sententia ad Romanum Pontificem provocare. Vehementer enim indignati, quod Romanus Pontifex Julius in suam recepisset communionem, suisque Sedibus, uti jam diximus, restituisset Athanasium, Marcellum, Asclepam, Paulum, Lucium, aliosque plures Antistites, quos in odium Catholicæ Religionis iidem Eusebiani in suis Synodis, ac præsertim Tyria, & Antiochena Encæniorum, ab Episcopatu depo-

ſitos Fidelium communione privarant, Succeſſoribus etiam in aliquorum locum ſurrogatis; per litteras ironiæ, atque injuriarum plenas conqueſti cum Julio amare ſunt, quod eorum ſententias in Orientalibus Conciliis latas reſcidiſſet. *Id eſſe factum iniquum, & ab Eccleſiaſtica lege alienum dixere, quod inconcuſſam habeat quælibet Synodus auctoritatem, & contumelioſe agatur cum Judice, cujus Judicium ab aliis examinatur*: Romanam Eccleſiam non fuiſſe Patriarchalibus reliquis prælatam, *cum par, idemque honor ſit in omnibus hujuſmodi Epiſcopatibus, neque ex magnitudine Civitatum is honor augeatur*: Romæ quidem Petrum, & Paulum docuiſſe, at ex Oriente miſſos: antiquo canone, qui alienum damnatum recipi vetat, Romanum quoque Pontificem obligari, uti ex Pauli Samoſateni damnatione patet: Julium proinde eſſe Canonum prævaricatorem, primamque harum omnium diſcordiarum originem. Hæc, & his pejora Euſebiani ſcripſerunt Julio, & ſparſerunt in vulgus, uti patet ex reſponſione Julii ad eorum litteras, cujus ſuperius tam ſæpe meminimus, & ex Sozomeno lib. 3. cap. 7.

Multa vero acerbiora in Conciliabulo Philippopolitano Euſebiani adverſus Romanum Epiſcopum ſtatuerunt, eaque Synodicæ ſuæ inſeruerunt, quam non ſecus, ac veri Concilii Sardicenſis foret, per omnes Eccleſiæ, Imperiique Diœceſes divulgarunt. In ea dicunt, factas ex alieno Patriarchatu ad Apoſtolicam Sedem appellationes eſſe legis Evangelicæ ſubverſionem, divini perturbationem juris, rerum omnium confuſionem, Eccleſiaſticæ traditionis fruſtrationem, novam denique ſectam. Julium damnant, graduque, & communione privant „ ſecun-
„ dum antiquiſſimam legem, ut Principem, & Ducem malorum, qui
„ primus januam communionis ſceleratis, atque damnatis aperuit, cæ-
„ teriſque aditum fecit ad ſolvenda jura divina „. Eum arguunt „ quod
„ quærat Eccleſiæ Principatum, quaſi aliquod Tyrannidis regnum, &
„ non propter bonum Iuſtitiæ. Non enim Eccleſiæ conſulunt, qui le-
„ ges, juraque divina, & cæterorum decreta ſolvere perconantur.
„ Propter hoc novitatem moliebantur inducere, quam horret vetus
„ conſuetudo Eccleſiæ, ut in Concilio Orientales Epiſcopi quidquid
„ forte ſtatuiſſent, ab Epiſcopis Occidentalibus refricaretur; ſimiliter
„ quidquid Occidentalium partium Epiſcopi, ab Orientalibus ſolvere-
„ tur. Sed hoc ex illo ſuo praviſſimo ſenſu tractabant. Verum om-
„ nium Conciliorum juſte, legitimeque actorum decreta eſſe firmanda
„ Majorum noſtrorum geſta conſignant. Nam in Urbe Roma ſub
„ No-

„ Novato, & Sabellio, & Valentino hæreticis factum Concilium ab
„ Orientalibus confirmatum eſt; Et iterum in Oriente ſub Paulo Samo-
„ ſateno quod ſtatutum eſt, ab omnibus eſt ſignatum.

Hæc delirabant Euſebiani, eorumque deliria fuerunt prima radix Photiani Schiſmatis, quod ſæculo nono excitatum Orientalem dilaniavit Eccleſiam. Hæc fuerunt peſſimi erroris initium, aſſerentis Ariſtocraticum eſſe Eccleſiæ regimen in tres Patriarchas ex æquo diviſum. Euſebiani etiam ſunt Magiſtri illi, a quibus Vvicleſiſtæ, Lutherani, Calviniſtæ, aliique hujus furfuris homines Romanam Eccleſiam tyrannidis, invaſæque poteſtatis accuſare didicerunt. At non ſic Romana umquam ſenſit Eccleſia, quæ omnium Eccleſiarum ſemper fuit, & eſt Mater, & Magiſtra, quemadmodum illam Œcumenica Concilia nuncuparunt. Quamobrem his hæreticorum calumniis Romani Pontifices verum illud reſponſum dare poſſunt, quod Conſtantio Auguſto Arianorum Patrono Liberius Summus Pontifex dedit. Cum propter Athanaſii Romanam Appellationem Liberio Conſtantius improperaſſet extenſa ultra Patrum terminos Romani Epiſcopatus jura, reſpondit Liberius: *Numquam mea ſtatuta, ſed Apoſtolica, ut eſſent ſemper firmata, & cuſtodita, perfeci ſecutus morem, ordinemque Majorum: nihil addi Epiſcopatui Urbis Romæ, nihil minui paſſus ſum.*

Ut igitur hanc Euſebianorum proterviam, cœcumque furorem, quo Eccleſiaſticam diſciplinam evertere conabantur, Sardicenſes Patres retunderent, & non modo illatum detrimentum repararent, ſed graviora etiam, quæ timebantur, impedirent; ſicuti quoad alia diſciplinæ puncta plures Canones edidere; ita etiam quoad appellationes condere tres Canones voluerunt, quibus antiquiſſimam Eccleſiæ in ea re Æconomiam, & praxim declararent, confirmarent, edicerent, & adverſus hæreticorum impetus ſtabilirent.

CAPUT II.

Explicantur Sardicenſes Canones de Romanis Appellationibus.

TRes omnino partes habet tertius Sardicenſis Canon, quem Patribus ſtatuendum Concilii Præſes Hoſius propoſuit. Priores duas, quia ad alia reparanda ab Euſebianis illata diſciplinæ detrimenta pertinent, prætermiſimus: Tertiam dumtaxat, quæ de appellationibus agit,

agit, recitavimus. Ut autem ea facilius intelligatur, prænoto, vetustum fuisse in Ecclesia morem, ut si quis Episcopus accusatus, damnatusque fuisset in Concilio Episcoporum Provinciæ suæ, seseque ejusmodi sententia gravatum putaret; provocare posset ad Episcoporum finitimorum Synodum, in qua ejus causa retractaretur, quin ad id Apostolicæ Sedis auctoritas, aut consensus esset requirendus; nisi tamen is expressam ad Romanum Episcopum appellationem interposuisset. Iam vero Hosius, ut Romani Pontificis auctoritatem, quam tanto studio deprimere Eusebiani conabantur, Sancta Synodus speciali aliqua honoris significatione prosequeretur, statuendum Patribus proposuit, ut in posterum, si quis Episcopus in Provinciali Concilio judicetur, seu damnetur in aliqua causa; & putet, se bonam habere causam, ut iterum renovetur Concilium, seu Iudicium, habendum scilicet in Concilio finitimorum Episcoporum; Episcopi, qui jam causam examinarunt, aut alii Episcopi (ut in aliis latinis Sardicensium Canonum collectionibus additur) qui videlicet in proxima Provincia commorantur, scribant Romano Pontifici, totamque eidem rei gestæ seriem, omniaque causæ momenta narrent. Is autem, re mature perpensa, si novum adhibendum judicium crediderit, det Iudices, Episcopos videlicet, qui in vicinæ Provinciæ locis commorantur, a quibus judicium renovetur. Secus, rata, & confirmata habeantur, quæ in primo Iudicio a Provinciæ Episcopis habito decreta sunt. Verum in hac re proponenda Hosius, in eaque statuenda Patres, Pontificis potissimum Primatus, & facilioris judiciorum expeditionis rationem habuerunt. Non enim putarunt, nullum Romano Pontifici jus in appellationibus competere, cum illud, uti videbimus, sequentibus Canonibus aperte declaraverint: Sed non ignorantes, quod in eo etiam casu, in quo Judices darentur ex finitimis Provinciis, citius ab ea Sede darentur, quæ ratione Primatus supremam in omnes Ecclesiæ Provincias jurisdictionem obtinet, quam a Metropolitano Episcopo, qui nullum ex se in finitimæ Provinciæ Episcopos habet jus, ad Romanum Pontificem recurri jusserunt. Ex alia parte recursus ejusmodi perhonorificus in iis circumstantiis erat Apostolicæ Sedi, cujus jura tanto furore impetebant Eusebiani: Quamobrem sic dicere visus est Hosius: Quandoquidem per summum scelus Eusebiana Factio jus negat Romano Pontifici appellationes recipiendi ab Episcopis in Provinciæ suæ Synodo damnatis, ejusque Primatum tot, tantisque injuriis, ac malefactis proscindunt; Nos Orthodoxi Episcopi *S. Petri Apostoli memoriam*

riam honoremus in ejus Successore Romano Pontifice ; & non modo ejus jura , ac privilegia , quæ a Christo accepit , servemus illæsa ; verum etiam recursum hunc ad Pontificem requiri statuentes ad hoc , ut Episcopi in Provinciali Synodo damnati causa a finitimis Episcopis retractetur, quoties æquum id Pontifici visum fuerit, nova hac honoris accessione reverentiam nostram Pontificiæ dignitati exhibeamus. Notandum hic , Sardicenses Patres , seu potius Hosium in hoc duntaxat tertio Canone formulam illam adhibuisse *S. Petri Apostoli memoriam honoremus* ; ab ea vero in reliquis duobus sequentibus abstinuisse. Ratio discriminis hæc est , quia in tertio Canone sermo est de mera honorificentia , & quidem non necessaria , Apostolicæ Sedi exhibenda : at in aliis duobus sequentibus de appellatione agitur ad Summum Pontificem , cujus recipiendæ jus , suæ Sedis proprium , a Christo Romanus Pontifex accepit , cui proinde scelus est contradicere. Illa vero laudati Canonis formula *si vobis placet* , non trepidantis est , ac dubitantis , sed est communis formulæ adhiberi solita in Conciliis , quando aliquid Patribus proponitur aut statuendum , aut confirmandum . Et sane eam formulam habent alii ejusdem Sardicensis Concilii Canones , quibus justissimæ , æquissimæque leges decernuntur.

Quartus Canon est quædam tertii Canonis appendix , quam subjiciendam proposuit Hosio Gaudentius Episcopus , uti patet ex illis verbis : *Gaudentius Episcopus dixit* : *Addendum* , *si placet* , *huic Sententiæ* , *quam plenam sanctitate protulisti* : Id autem , quod addendum dicit , hoc est : Quamquam Episcopus aliquis in Episcoporum Provinciæ suæ Concilio damnatus fuerit , idest depositus fuerit (damnationis enim nomine in 3. Canone depositionis sententia intelligitur , sicuti hæc diserte exprimitur in quarto Canone , qui est Appendix , & additamentum tertii) & quamquam ab Episcopis finitimis , quos ei dederit Judices Romanus Pontifex , depositus etiam fuerit ; si tamen ad Apostolicam Sedem appellet , ad quam prius supponitur non appellasse ; post ejusmodi appellationem alter Episcopus in ejus Cathedra omnino non ordinetur , nisi ejus causa fuerit Romæ in Episcopi Romani judicio determinata. En verba Canonis. *Cum aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum judicio , qui in vicinis locis commorantur , & proclamaverit agendum sibi negotium in Urbe Roma ; alter Episcopus in ejus Cathedra post appellationem ejus , qui videtur esse depositus , omnino non ordinetur , nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata*. In hoc Canone , uti pa-

patet, perſpicuis, & formalibus, ut ajunt, verbis appellatio exprimitur ad Romanum Pontificem, quam inviolate ſervari Patres jubent. Verum quidem eſt, in Græca hujus quarti Canonis lectione expreſſam adeo appellationis, judiciique in Urbe habendi mentionem non exhiberi, ut in Latina. Satis tamen eadem innuitur iis Græcæ lectionis verbis, quibus, nulla facta mentione novæ aliorum judicum delegationis, Romani Epiſcopi cognitio exigitur, ut cauſæ terminus imponatur. *Si quis Epiſcopus fuerit depoſitus*, Sic habet textus Græcus in Latinum Sermonem verſus, *judicio Epiſcoporum, qui ſunt in vicinitate, & dicat rurſus ſibi defenſionis locum competere; non prius in Cathedram ejus alius ſubſtituatur, niſi Romanus Epiſcopus cognoſcens de hoc finem impoſuerit*. Profecto qui per delegatos Judices, vel per Legatum cognoſcere cauſam poteſt, eodem jure illam etiam poteſt per ſe ipſe cognoſcere. Proponuntur quidem ab Hoſio Canone 5. delegatio finitimorum, & tranſmiſſio Legati: Sed, uti patet ex illa formula, quam Hoſius adhibet, *ſcribere dignetur*, nulla Pontifici lex imponitur, ſed faciliores tantum, & expeditiores cognoſcendarum appellationum intra Epiſcopi damnati Provinciam modi proponuntur, quos jam ſæpius in caſibus appellationum iidem ipſi Romani Pontifices elegerant: Non tamen proinde iis ulla ratione interdicitur, ne eaſdem appellationum cauſas extra Provinciam cognoſcant, quoties iiſdem expedire videatur. Sic extra Alexandrinam Provinciam cauſam Appellationis S. Athanaſii Julius Papa Romæ dijudicaverat, & Sardicenſes Patres Sardicæ in Dacia ex Julii delegatione retractaverant. Et ita quidem Sardicenſes Canones Græci intellexerunt, antequam in Photianum Schiſma prolaberentur, cum aperte docuerint, Romanos Pontifices ſive per delegatos, ſive etiam per ſe de appellationum cauſis cognoſcere poſſe, ac judicare. Ita docuit Theodorus Prodromus Senior, qui omnium primus ante Photianum Schiſma Sacros Canones interpretatus eſt. En ejus verba in Canones Sardicenſes, uti videre eſt apud Nicolaum Comnenum Papadopolum in prænotationibus Myſtagogicis pag. 367. *Semper, & in omni judicio damnatis licet Romanum Epiſcopum appellare, atque eo jubente iterum judicari vel ab ipſo, vel ab ejuſdem Legatis*.

Quinti tamen Canonis facilior eſt intelligentia. Sermo in eo eſt de vera appellatione, quam apud Romanum Pontificem interponat Epiſcopus in Concilio Provinciæ ſuæ ab Epiſcopatu depoſitus, Romanoque Antiſtiti faciliores, & uſitatiores ſuggeruntur modi, quibus judicium

Appel-

Appellationis fieri, & absolvi potest, quoties illud exercendum esse arbitretur. Duo eorum potissimum innuuntur. Primus est, ut ejusmodi judicium finitimis Episcopis exercendum a Pontifice committatur. Secundus, ut de latere suo Presbyterum, vel Presbyteros Pontifex mittat, qui Apostolica auctoritate una cum Episcopis ad id delectis causam in gradu Appellationis retractent, ac definiant. In utroque casu Pontificia habetur delegatio, in primo quidem magis obvia, & facilior, in secundo difficilior, & rarior. At hinc discrimen patet, quod inter tertium, & quintum Canonem intercedit. In illo enim de mera agitur novi Judicii petitione sine appellatione ad Romanum Pontificem; in hoc autem de appellatione ad Episcopum Romanum, ad quem Episcopus depositus confugit, & apud quem appellationis judicium promovere intendit. Hinc Zosimus Papa, uti diximus cap.4., in Commonitorio, quod in causa Apiarii Siccensis Presbyteri dedit Legatis ad Africanos in Concilio Carthaginensi VI. congregatos, non tertium, sed quintum Canonem Sardicensem produxit, quem Nicænum nuncupavit, ut probaret, appellationem veram ad Summum Pontificem a Nicænis, ut ipse vocabat, sed vere a Sardicensibus Canonibus fuisse confirmatam. Cœterum Sardicenses isti Canones nihil Romano Pontifici præscribunt, sed omnia ejus sapientissimo consilio relinquunt, uti constat ex iis, quas adhibent, formulis, cum de eodem loquuntur, videlicet *si judicaverit*, *si probaverit*, *si justum putaverit*, *scribere dignetur*, *erit in potestate Episcopi Romani*, *erit in arbitrio*, *si crediderit*, *faciet*, *quod sapientissimo consilio suo judicaverit*.

Originarium Sardicensium Canonum textum alii esse Græcum dicunt, alii Latinum. Verosimilius fortasse est, duo in Sardicensi Concilio conscripta fuisse originaria exempla, alterum Latinum pro Latinis, qui in eo fuerunt frequentiores, alterum Græcum pro Græcis, quorum potissimum de causa Concilium agebatur. Latinum fuisse censuit Dionysius Exiguus, qui in epistola ad Stephanum Salon. inquit: *Statuta quoque Sardicensis Concilii, atque Africani, quæ latine sunt edita &c.* Et sane, cum Latina, quæ habemus, exemplaria sint admodum inter se similia; interpretationes autem ex Græco diversæ originis tantam similitudinem servare non possint; satis congruenter infertur, aliquod extitisse originarium Latinum exemplar. Ex alia vero parte, cum Ecclesia Græca, in qua Ecclesiasticam disciplinam Eusebiani non parum labefa-

befaċtaverant, iis Canonibus maxime indigeret, qui in eorum gratiam conditi potiſſimum fuerant, quis non ſibi prudenter ſuadeat, græcum etiam aliquod eorumdem extitiſſe originarium exemplar, de cujus ſinceritate dubitare Græci non poſſent? Certum illud eſt, Latinum textum pleniorem eſſe, ac perfectiorem.

Sardicenſis Concilii Canones in utraque cum Orientali, tum Occidentali Eccleſia receptos fuiſſe, uſuque confirmatos, perſpicuis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumentis edocemur, quorum aliqua ſuperius attigimus, aliqua nunc proferemus. Ab Orientali Eccleſia exordiamur. Et primum quidem Sardicenſis ipſa Synodus in Synodica Epiſtola, quam ad omnes totius Eccleſiæ Antiſtites miſit, hæc addidit verba: *Quin & vos quoque ut ſpiritu præſentes in noſtra Synodo, ſtudete idem ſuffragium conferatis per veſtras ſubſcriptiones, quo ab omnibus ubique Sacrorum Miniſtris concordia ſervetur*. Et ſane plurimos non Occidentales modo, ſed etiam Orientales ſubſcripſiſſe teſtatur S. Athanaſius in ſecunda, quam ad Conſtantium Imperatorem ſcripſit, Apologia. Plures etiam ex Euſebiana factione, quos inter Urſacius, & Valens, cum ad mentem rediiſſent, Sardicenſi Synodo ſubſcripſerunt. S. Athanaſius Sardica Alexandriam rediens S. Maximum Hieroſolymitanum Antiſtitem inviſit: hic autem cum ipſo Epiſcoporum Synodum celebravit, in eaque unanimi omnium conſenſu acta, ac decreta Sardicenſia publicavit, & executus eſt, uti teſtatur Photius in ſua Bibliotheca in excerptis ex vita S. Athanaſii. Athanaſium diverſas in Egypto Synodos celebraſſe pro Concilii Sardicenſis publicatione, teſtantur Socrates, & Sozomenus. Sardicenſes Canones in toto Oriente viguiſſe refert Palladius Epiſcopus Helenopolitanus in Dialogo cum Theodoro Romanæ Eccleſiæ Diacono de vita S. Joannis Chryſoſtomi. Chalcedonenſe Concilium, cui pluſquam Sexcenti, ac triginta Orientales Epiſcopi interfuere, in proſphonetico Sermone ad Marcianum Imperatorem inquit: *Illi, qui apud Sardicam contra Arii reliquias convenerunt, Orientalibus direxerunt ſui Conſtituta judicii*, palamque affirmat vigere apud ſe, obſervarique Sardicenſes Canones, eoſque una cum aliis Canonibus in ſingulis Synodis per Sanctos Patres uſque ad ea tempora conſtitutis primo ſuo Canone laudari, & confirmari. Sardicenſes item Canones Joannes Scholaſticus Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſuo Codici, Trullana Synodus authentico Canonum catalogo, & Photius ipſe, ante lapſum in Schiſma, ſuo

ſuo Nomo-Canoni inſeruit. Alia plurima ejuſmodi monumenta videri poſſunt apud Chriſtianum Lupum in diſſertatione I. de antiquis Gallicanæ Eccleſiæ ad Apoſtolicam Sedem appellationibus cap. 13.

Quod autem ad Eccleſiam Occidentalem attinet, certiſſimum eſt, Sardicenſes Canones receptos in ea ſtatim fuiſſe, perpetuoque uſu confirmatos. Patet id 1. ex eo quod plurimi Occidentales Epiſcopi Synodo Sardicenſi interfuerunt; plures vero, qui non adfuerant, ſubſcripſerunt. 2. ex eo, quod Præſidem Concilii fuiſſe ſciamus celeberrimum Hoſium Cordubenſem Epiſcopum Occidentalem, de quo Sardica in Hiſpaniam regreſſo ſcribit Synodicus antiqui Auctoris liber: *Cordubæ Epiſcopus Sanctiſſimus Hoſius, Synodum divinam, & ſanctam in ſua Civitate convocans, divinitus expoſitam illuſtravit doctrinam, condemnans eoſdem, quos Sardicenſis abdicaverat Synodus, & quos ea abſolverat, recipiens.* Tanti autem viri exemplum quis putet imitatos non fuiſſe Epiſcopos reliquos, qui Sardicenſi Concilio aut interfuerant, aut ſaltem ſubſcripſerant, ac præſertim S. Maximinum Treverorum in Gallia Epiſcopum, quem propter zelum in promovendis Romanis appellationibus Euſebiani in Philippopolitano Conciliabulo de Epiſcopali gradu dejecerant? Plures Gallorum Epiſcopos Sardicenſi Synodo interfuiſse, alios vero plures abſentes ſubſcripſiſſe, diſerte affirmat in ſecunda ſua Apologia Magnus Athanaſius. Idem dicendum videtur de aliarum Occidentalium regionum Epiſcopis, uti probat laudatus Chriſtianus Lupus in egregio ſuo Opere, quod inſcripſit: *Divinum, ac immobile S.Petri Apoſtolorum Principis circa omnium ſub cælo fidelium ad Romanam ejus Cathedram appellationes adverſum profanas hodie vocum novitates aſſertum privilegium*: quo quidem in opere ſolide refellit Petrum de Marca, Paſchaſium Queſnellum, alioſque non paucos, e quibus plurima Febronius mutuatus, librum ſuum exornavit. 3. ex eo, quod Canonum Codici, quo Romana utebatur Eccleſia, inſcripti ſtatim ſunt Sardicenſes Canones poſt Nicænos, & Nicæni etiam ad longum tempus nuncupati ſunt. 4. ex eo, quod horum Canonum executionem ſummo ſemper ſtudio Romani Pontifices non in Orientali modo, ſed in Occidentali etiam Eccleſia promovere conati ſunt, uti ex dicendis patebit.

CAPUT III.

Utrum Sardicense Concilium Romano Pontifici non appellationum Jus, sed quamdam tantum decernendæ revisionis auctoritatem tribuerit, uti Febronius contendit; an potius verarum appellationum Jus, eidem ratione Primatus divino Jure competens, declaraverit, suisque legibus communierit?

Antequam propositam controversiam discutere incipiamus; Ne in ejus decursu suborta aliqua de voce quæstio nos remoretur; certa quorumdam terminorum statuenda est significatio, quæ non quidem nostro ab arbitrio, sed a constanti, receptoque doctorum hominum usu desumatur. *Causam retractari* nihil est aliud, quam causam jam olim a Judicibus discussam, ac definitam iterum examini subjici, iterum in Judicio discuti, atque perpendi, ut edita prius sententia, si justa sit, confirmetur; si iniqua, rescindatur, aut ab ea recedatur. Verum cum duplex sit novum judicium, in quo iterum discuti causa potest, videlicet vel *appellationis*, vel *meræ revisionis*; Inde fit, ut dictio ista *retractatio Causæ* sit generica, utrumque tum appellationis, tum meræ revisionis judicium disjunctive complectens, neutrum tamen determinate significans, nisi certa alterutrius significatio aliunde determinetur. Ad id autem dignoscendum, scire oportet, quid sit *appellatio*, quid *mera revisio*, & quod utriusque discrimen? Hæc paucis explico juxta ea, quæ a Petro de Marca, & a Quesnello, quos Duces Febronius sequitur, edocemur. Per appellationem igitur integra Causæ jam discussæ, ac definitæ cognitio ad superiorem transfertur Judicem, qui causam vel per se, vel per alios, quibus auctoritatem suam, potestatemque delegat, iterum excutit, ac definit: quare per appellationem omnis quoad eam causam expirat prioris Judicis potestas, ac Jurisdictio; quin imo in Judicio appellationis prior Judex induit quodammodo personam Rei, cum in tali judicio examinetur, utrum prolata a priori Judice sententia justa sit, annon. Contra vero per simplicem revisionem tota Jurisdictio, ac definitivum Causæ judicium prioribus relinquitur Judicibus, qui illam jam discusserunt, ac definierunt, ut iterum eam discutiant, ac definiant, una tamen cum novis Judicibus, qui prioribus adjunguntur, uti constat ex Græca Constitutione, quam in suis Observationum libris Cujacius restituit, ac explanavit. Præterea ea vis est appellationis, ut, statim ac appellatio admissa est a Su-

a Superiore, non modo prioris Judicis, qui sententiam tulit, potestas quoad eam causam, ac Jurisdictio conquiescat, sed latæ etiam ab eodem sententiæ suspendatur executio, quamdiu judicium exercetur appellationis; imo eo etiam absoluto, exequi sententiam suam prior Judex nequeat, nisi confirmata fuerit a Judicibus appellationis, & ab iis executioni demandari jubeatur. Secus autem dicendum est de mera revisione, quæ dari solet in *devolutivo*, ut ajunt, non in *suspensivo*, nisi forte Superior, qui beneficium revisionis concedit, suspendi jubeat prioris sententiæ executionem, vel quia reparari detrimentum nequeat, quod per eam inferatur, vel quia id suadeant causæ æquitas, Principis clementia, rerumque circumstantiæ.

Jam vero ubicumque ea, quæ de ratione appellationis esse diximus, reperiantur, ibi vera habetur appellatio, sive vocetur appellatio, sive provocatio, sive ad Superiorem recursus, sive confugium, sive quocumque tandem nomine nuncupetur. Quod enim Petro de Marca, Quesnello, Febronio, aliisque eorum Sodalibus displicet, & ante ipsos Eusebianis maxime displicuit, non est *appellationis* vox, sed id, quod per ipsam significatur, nempe quod Romanus Pontifex, tamquam supremus in universa Ecclesia Judex, quascumque Episcoporum, seu aliorum Causas, in ipsis Conciliis sive Provincialibus, sive Nationalibus discussas, ac definitas, ad eorum, qui condemnati sunt, querelas, aut preces, suprema sua auctoritate sive per se, sive per alios retractare possit, discutere, examinare, & si minus rectæ sint sententiæ in Conciliis latæ, eas corrigere, infirmare, reprobare, quin priores Judices locum habeant iu judicio appellationis: imo verius in eo Reorum personam sustineant, cum de latæ ab ipsis sententiæ justitia examen instituatur, ejusdemque suspendi debeat executio, donec ab appellationis Judice post maturam discussionem tamquam valida, ac justa confirmetur.

His præmissis, tamquam certum statuo, Sardicenses Canones non de mera revisione, sed de vera appellatione esse intelligendos. Id enim ipsorum Canonum verba luculenter ostendunt, præsertim quarti, & quinti Canonis, in quibus de veris Romanis appellationibus sermo est: tertius enim non de Romana appellatione loquitur, quam nullo modo interfuisse supponit, sed de mera novi judicii petitione, ut diximus capite superiori. Ostendo. Tum in quarto, tum in quinto Canone sermo est de Episcopo deposito in Concilio Provinciæ suæ, aut etiam in Con-

Concilio finitimorum Episcoporum (quando juxta Canonem tertium, sine appellatione ad Pontificem, ab eodem novum judicium obtinuerit a finitimis Episcopis exercendum) qui ad Romanum Pontificem appellet: *post appellationem ejus, qui videtur esse depositus*, sic in quarto Canone: *si appellaverit, qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri*, sic in quinto. Sermo est de novis Judicibus delegandis a Romano Pontifice, qui causam de novo excutiant, ac judicent, non sua, sed Romani Pontificis auctoritate, a quo delegantur: *qui præsentes judicent habentes ejus auctoritatem, a quo destinati sunt*; vel de novo judicio per ipsum Romanum Pontificem suprema sua auctoritate instituendo juxta illud Canonis quarti: *cum aliquis Episcopus depositus proclamaverit agendum sibi negotium in Urbe Roma*. Juxta quartum, & quintum Canonem integra Causæ cognitio est penes Romanum Episcopum, qui vel per se ipse causam dijudicare potest, vel aliis Apostolica auctoritate dijudicandam demandare, quin eam prioribus Judicibus committere teneatur, quibus alios è vicinis Provinciis Judices adjungat; quod ad meram causæ revisionem necessario requiritur: id enim neque directe, neque indirecte Sardicenses Canones innuunt, sed de prioribus Judicibus, a quibus Episcopus depositus appellavit, omnino silent. Tandem in quarto, & quinto Canone sententiæ in priori judicio latæ, a qua provocavit Episcopus, executio suspenditur, quamdiu causa fuerit in judicio Romani Episcopi determinata, itaut non modo in Episcopi depositi locum alter ordinari nequeat, verum etiam Episcopus ipse non judicandus sit vere depositus, sed solum depositus videatur. *Cum aliquis Episcopus depositus fuerit*, sic in quarto Canone, *& proclamaverit agendum sibi negotium in Urbe Roma; alter Episcopus in ejus Cathedra post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata*, Cum itaque Sardicenses Canones de novo instituendo judicio loquantur, in quo ea, quæ de ratione appellationis, non quæ de ratione meræ revisionis esse diximus, concurrunt; eos de vera appellatione, non de mera revisione loqui fateamur necesse est.

Præterea eam esse Sardicensium Canonum intelligentiam, ut causas in Conciliis Provincialibus jam definitas Romanus Pontifex in gradu appellationis vel ipse per se Romæ, vel alibi per delegatos suos retractare possit, ac definire, liquido patet, tum ex observantia, & praxi ejusmodi judiciorum, quæ Sardicensem Synodum præcessit, tum ex

ea,

eà, quæ eamdem Synodum immediate ſubſecuta eſt: obſervantia enim, & conſuetudo eſt Canonum, Legumque tutiſſima interpres. Quod ad primam obſervantiam pertinet, ea patet ex ſuperius adductis exemplis Marcionis, Privati Lambeſitani, Novati, Baſilidis, Martialis &c., ac præſertim Athanaſii, Pauli, Aſclepæ, Marcelli, aliorumque plurimorum Orientalium Antiſtitum, quorum cauſam ex Pontificia Julii conceſſione Sardicenſis ipſa Synodus revidit, ac retractavit. Sane de hac judiciorum conſuetudine ſic ſcripſit S. Julius in toties laudata Epiſtola ad Orientales: „ Qui bene ſentiunt de iis, quæ egerunt, & in quibus ipſi „ Judices fuere, non indignanter ferre ſolent, ſi, quod ab ipſis judi- „ catum eſt, ab aliis excutiatur: quippe qui ſecuri ſint, ea, quæ ipſi ju- „ ſta judicaverunt, injuſta numquam fieri poſſe. Quocirca Epiſcopi in „ magna Synodo Nicææ congregati, non ſine Dei conſilio permiſerunt, „ prioris Synodi acta in alia Synodo examinari, ut & illi, qui Judices „ erant, præ oculis habentes ſecundum de ea ipſa re judicium futurum, „ cum omni diligentia cauſam expenderent, & illi, qui ſententiam „ acceperant, certo cognoſcerent, ſe non per ſimultatem priorum Ju- „ dicum, ſed jure, ac merito condemnatos eſſe. Quod ſi iſtiuſmodi „ conſuetudo olim fuit, ejuſque memoria revocata eſt, & ſcripto pro- „ dita in Magna Synodo, eamque apud vos valere non ſinitis, rem „ profecto indecoram facitis. Morem enim, qui ſemel in Eccleſia obti- „ nuit, & a Synodo confirmatus eſt, iniquum eſt a paucis abrogari. „ Loquitur Julius de appellatione Athanaſii, Pauli, Marcelli, Aſclepæ, aliorumque Orientalium Epiſcoporum, ad quorum cauſam Romæ retractandam Euſebianos citaverat; & affirmat hanc appellandi formam eſſe vetuſtum morem, antiquam conſuetudinem, Apoſtolicam traditionem, quam pauci Euſebiani Epiſcopi in Antiochena Synodo labefactare conati fuerant, ſed fruſtra: Nicæna enim Synodus avitam diſcuſſerat conſuetudinem, probaverat, ac in ſcriptum redegerat, in ſexto potiſſimum Canone, in quo ſua privilegia cunctis Eccleſiis juſſerat cuſtodiri. Horum non ignara Sardicenſis Synodus, omnia Julii acta in cauſa Athanaſii, aliorumque probavit, Euſebianorum contumaciam retundens, qui Romam evocati accedere noluerunt. Sic enim ad Alexandrinam ſcripſit Eccleſiam: „ Qua in re æquitas judicii fratris noſtri, „ & Coepiſcopi Julii liquidiſſime apparuit, qui non temerario conſilio, „ ſed cum matura deliberatione ſententiam tulit „; Et in relatione ad ipſum Julium inquit: „ Orientales Epiſcopi conventi per Presbyteros „ tuos,

„ tuos, & per Epistolam, ad Synodum, quæ futura erat in Urbe „ Roma, venire noluerunt; „ & in Synodica ad universos Episcopos ait:„ „ Eusebianorum Sycophantia ex eo præcipue cognosci potuit, quod „ accersiti a dilecto nostro Comministro Julio, judicio non steterint. „ Accessissent enim, si actorum suorum in Comministros nostros „ fiduciam habuissent. Ut itaque insitum Romani Pontificis Primatui jus recipiendi ex omni Mundi parte appellationes perstaret immotum, & Eusebianorum, qui illud evertere studebant, retunderentur conatus, ne quid in posterum insolentius auderent; tres, ut diximus, Canones de Romanis appellationibus Sardicenses Patres condidere. At nihil prorsus egissent, si non de Appellatione, sed de mera revisione, cui Eusebiani non adversabantur, fuissent locuti. Quod autem ad Sardicensium Canonum observantiam pertinet, quæ Synodum ipsam est subsecuta, dicam capite sequenti, & aliquot Romanarum Appellationum exempla proferam ex iis plurimis, quæ post Sardicense Concilium extitere usque ad sæculum nonum, quo in lucem prodiit Isidoriana Decretalium collectio, ut inde pateat, communem, frequentemque Romanarum Appellationum usum, non ex eadem collectione promanasse, uti Febronius affirmat, sed ex communi totius Ecclesiæ persuasione de Romani Pontificis Primatu, supremaque Jurisdictione, qua in tota potitur Ecclesia, & cujus est appendix veluti quædam Jus, quo gaudet, recipiendi ex omnibus Mundi partibus appellationes.

CAPUT IV.

Romanæ Orientalium Appellationes post Sardicensem Synodum ad sæculum nonum interjectæ.

NON omnium, sed præcipuarum Appellationum exempla proferam, quas ad Apostolicam Sedem post Sardicensem Synodum usque ad sæculum Christi nonum Orientales interposuere.

Eusthatius Episcopus, quod Semi-Arianorum partibus esset addictus, in Synodo Melitinensi in Armenia anno circiter 357. depositus ab Arianis Episcopis fuit. Appellavit is ad Liberium Papam, ab eoque communicatorias accepit litteras, quibus suæ restitutus est Sedi. *Epistolam*, inquit S. Basilius in epist. 74. ad S. Damasum, *attulit*, *per quam restitueretur*: *hanc ubi Synodo Tyanensi exhibuit*, *in suum locum restitutus est*. Paulo autem post in hæresim relapsum de gradu suo ejicere Episcopi non

non sunt ausi, nisi prius Romanum Pontificem monuissent, ab eoque veniam postulassent, ut Canonicis adversus hæreticum hominem pœnis sibi liceret animadvertere. „ Quoniam igitur „ subdit in citata Epistola S. Basilius „ isthinc vires accepit lædendi Ecclesias, ac publicandæ suæ „ impietatis fiducia, quam vos dedistis, ad subversionem multorum usus „ est, necesse est, ut isthinc quoque veniat malorum istorum corre- „ ctio, scribaturque Ecclesiis, quibus quidem conditionibus ad com- „ munionem susceptus sit: simul vero adjiciatur, quomodo jam, im- „ mutata sententia, gratiam a Patribus, qui tum erant, acceptam irri- „ tam reddat.

Coacta a Teophilo Episcopo Alexandrino anno 403. Synodo ad Quercum prope Chalcedonem, multorum criminum accusatus per calumniam fuit S. Joannes Chrysostomus Constantinopolitanus Antistes, & ad Concilium accitus, ut sese ab impactis criminationibus tueretur. Cum illegitima esset Synodus, ire noluit Chrysostomus, sed aliam Synodum legitima auctoritate celebrandam postulavit, contestans *paratum se ad innocentiam suam coram centum, vel mille Episcopis declarandam*, uti scripsit ad Innocentium Papam. Verum damnatus, ut contumax, ab adversariis suis, ac præterea ad Arcadium Imperatorem, ut læsæ Majestatis reus, delatus, pulsus in exilium est. Cum tamen propter sui Præsulis absentiam populus tumultuaretur, & ingens terræ motus urbem totam, ipsamque Regiam vehementi fragore concuteret; Chrysostomum ab exilio in Sedem suam Arcadius revocavit. At post duos menses, Imperatricis Eudoxiæ, ac Theophili opera, quibus Chrysostomus erat infensus, coacta Constantinopoli Synodo, Vir Sanctissimus violati Antiocheni Canonis accusatur, quo Episcopus, a sua Sede jure, vel injuria dejectus, proscribi jubebatur, si, priusquam prioris Synodi decreta per aliam abrogarentur, ipse se amissæ Ecclesiæ auctoritate sua reddidisset. Prævaluit hostium furor, obtentaque nova Arcadii Sanctione, Chrysostomus Cucusum deportatus est, & post multas toleratas ærumnas, anno 407. in exilio sanctissime obiit. Provocaverat jam S. Doctor ad Innocentium I., scriptisque ad eum litteris, postulaverat, ut alia cogeretur Synodus, in qua legitime causa retractaretur, & quæ in Synodo ad Quercum gesta inique fuerant, rescinderentur. *Scribite precor* (ita Chrysostomus in epistola ad Innocentium, uti refertur a Palladio Helenopolitano Episcopo, qui cum coævus, ac testis eorum esset, quæ in hac causa contingebant, Dialogum

de

de Chrysostomi vita conscripsit) ,, & auctoritate vestra decernite, hu-
,, jusmodi inique gesta nobis absentibus, & judicium non declinan-
,, tibus nullius esse roboris. Porro qui talia gessere, eos Ecclesiæ cen-
,, suræ subjicite: nos autem insontes, neque convictos, neque repre-
,, hensos, neque ullius criminis reos comprobatos Ecclesiis nostris ju-
,, bete restitui, ut charitate frui, & pace cum Fratribus nostris con-
,, sueta possimus ,,. Scripserat tamen prius ad Innocentium quamdam veluti Synodicam adversus Chrysostomum Theophilus. *At ea perlecta*, ut inquit Palladius cap. 1., *B. Papa Innocentius parum abfuit, quin temeritatem Theophili, atque superbiam condemnaret, quod & solus scripsisset, nec claram ejus rei notitiam misisset, nec cur, aut quibuscum Joannem deposuerat, indicasset*. Mitius tamen adhuc agendum esse cum Theophilo censuit: quare Chrysostomi votis annuens, & Theophili judicium improbans, ad communionem quidem utrumque admisit, sed aliam cogi debere Synodum indixit. ,, Ad hæc B. Innocentius ,, (ita Palladius cap. 3.) ,, utrique parti pares litteras communionis misit, improbans
,, judicium, quod a Theophilo factum videbatur, dicens debere aliam
,, cogi Synodum irreprehensibilem Occidentalium, & Orientalium;
,, primum quidem secedentibus ab illo consessu amicis; deinde, &
,, inimicis: a neutris enim ut plurimum rectum proficiscitur judicium ,,. Missis deinde ab utraque parte ad Pontificem Legatis, certior is factus est eorum omnium, quæ in causa Chrysostomi contigerant: quare urgere cœpit Innocentius Synodi celebrationem, eaque de re ad Honorium Imperatorem scripsit, ut Arcadio fratri suaderet, novam in Oriente cogendam esse arbitrio Pontificis Synodum, in qua vel invitus cogeretur adesse Theophilus. Scripsit non semel ad Arcadium Honorius; ad eumdem quoque, & ad Clerum Constantinopolitanum scripsit Innocentius, Synodumque Thessalonicæ habendam indixit, & quatuor Episcopos, duosque Presbyteros Constantinopolim suos Legatos misit, qui cum Arcadio de Concilio convenirent, eique, cum haberetur, interessent: in Commonitorio autem, quod hisce a latere suo Legatis dedit, & quod a Theodoro Romanæ Ecclesiæ Diacono refertur apud Palladium, hoc in mandatis habetur, *Non oportere Joannem Judicium aggredi, nisi illi prius Ecclesia, communioque redderetur, ut omnis dilationis occasione sublata sua sponte Concilium ingredi posset*. En suspensa executio duplicis Synodalis Sententiæ facta a Pontifice, dum per Legatos suos in alia Synodo causam Chrysostomi in gradu appellationis retra-

retractat. Eamdem sententiæ executionem suspenderat idem Pontifex Chrysostomi appellationem admittens, dum illum tamquam verum Episcopum in suam communionem recepit, quamquam non ignoraret, Chrysostomo in exilium pulso, in ejus Sedem fuisse intrusum Arsacium, & huic mortuo anno 407. Atticum fuisse surrogatum. *Frater Theophile*, sic ad Theophilum scribit Innocentius in litteris, quas Palladius refert pag. 24. „ Nos & te, & Fratrem nostrum Joannem com-
„ munionis nostræ esse decrevimus, sicuti & in prioribus litteris aperte
„ satis expressimus, & nunc in sententia nostra, & voluntate perdu-
„ rantes rursus eadem scribimus. Et quotiescumque scripseris, nisi de-
„ bitum sequatur, conveniensque judicium propter ea, quæ magno
„ cum dedecore gesta sunt, possibile non est, nos a Joannis communio-
„ ne discedere „. Præterea S. Innocentius in Epistola ad Chrysostomum, quam refert Sozomenus lib. 8. cap. 26., sic ait: *Etsi innocens a Deo misericordiam petere debet; tamen etiam a nobis competentes litteræ per Cyriacum Diaconum sunt transmissæ, ne contumelia plus valeat ad opprimendum, quam bona conscientia ad spem relevandam*. Tandem cum Theophilus, aliique Chrysostomi adversarii illum a se fuisse depositum jactarent, quod Antiochenus Canon perpetuam depositionem iis infligeret, quos ejusdem Canonis transgressores fuisse constaret; Innocentius in Epistola ad Clerum, & Populum Constantinopolitanum, quam describit loco citato Sozomenus, sic inquit: „ Quod autem ad Canonum
„ observationem attinet, solis illis parendum esse dicimus, qui Nicææ
„ definiti sunt. Quod si a quibusdam alii proferantur, qui a Nicænis
„ Canonibus dissentiant, & ab hæreticis compositi esse arguantur, hi
„ a Catholicis Episcopis rejiciendi sunt. Hos igitur Canones non so-
„ lum non sequendos, verum etiam una cum hæreticis, & schismati-
„ cis dogmatibus condemnandos esse dicimus, quemadmodum etiam
„ in Sardicensi Synodo jam condemnati sunt „. In tota hujus facti serie Sardicenses Canones observatos fuisse dignoscimus. Chrysostomus Episcopus damnatus a Synodo ad Romanum Pontificem provocat, novumque postulat judicium. Appellationem Pontifex admittit, prioris sententiæ executionem suspendit, dat novos Judices cum suis a latere Legatis, qui Concilio præsint, Ecclesiamque, & Communionem restitui Chrysostomo jubet, antequam novum judicium institui incipiat: Priores vero Judices ab appellationis judicio omnino repellit.

At cum Basnagio, Quesnello, Dupinio, aliisque reponit hic

plura Febronius cap. 5. §. 8. num. 2. pag. 276. primæ editionis. I. Chrysostomus in suis litteris ad Innocentium non petit appellationis Judicium, & ut Pontifex irritet sententiam in Orientali Synodo latam; sed solum postulat, ut scribat, ea, quæ facta fuerunt, robur habere non posse, tamquam acta adversus Canones, & formam judiciorum Ecclesiasticorum, ac proinde sibi non denegari, sed confirmari potius Communionem ab Occidentalibus petit; quæ quidem facere non Apostolico solum Præsuli, sed & cuicumque Pontifici licet, ut ait Gelasius Papa. Et sane eamdem Epistolam non ad Innocentium modo, sed ad Episcopos etiam Venerium Mediolanensem, & Chromatium Aquilejensem Episcopum Chrysostomus scripsit. In Codice enim vetustissimo Mediceo Bigottus se legisse testatur ad calcem Epistolæ Chrysostomi ad Innocentium hanc clausulam: *Hæc ipsa scripta est ad Venerium Episcopum Mediolani, & ad Chromatium Aquilejæ Episcopum*. Hos autem Episcopos irritare non potuisse, ac rescindere Orientalis Synodi judicium, certissimum est. 2. Si Chrysostomus appellavit, non ad Pontificem, sed ad Concilium appellavit: Chrysostomus enim ipse scribens ad Innocentium ait: *Sed licet absentes essemus, & ad Synodum appellaremus*. Imo Innocentius ipse ad juridicam causæ decisionem dixit, necessariam esse Synodi cognitionem: sic enim habet in citata Epistola ad Clerum, Populumque Constantinopolitanum: *Sed quid adversus ista in præsenti faciemus? necessaria est cognitio Synodi, quam & nos jampridem congregandam esse duximus. Hæc enim sola est, quæ hujusmodi tempestatum motus sedare possit*. Hæc autem omnia multum distare contendit Febronius *a prætenso jure Pontificis privativo per se in via, & gradu appellationis cognoscendi de controversiis Episcoporum, easque definiendi ultra tenorem Canonum Sardicensium, quorum eo certius memor fuit Innocentius, quod expressam eorum in sua epistola faciat mentionem*. 3. Bossuetus, cui Febronius subscribit, in Defens. Cler. Gallic. lib. 14. cap. 11. exitum hujus causæ sic exponit:
„ Innocentius Papa Theophili judicium cassum, & irritum habuit;
„ ultimam tamen Sententiam Concilio Oecumenico reservavit....
„ Sic Romanus Pontifex, quæ pro loci amplitudine solus inchoavit,
„ nonnisi totius orbis sententia finiturus erat. Verum cum Synodus
„ Oecumenica ab Arcadio Imperatore impetrari non posset, totius
„ Occidentis cum Apostolica Sede conjuncta sententia perfecit, ut
„ Joannis Chrysostomi nomen Constantinopoli quoque in Sacras Ta-
„ bulas referretur, ac sine novo Judicio, consensione totius Ecclesiæ,
„ Theophili Synodus solveretur „.

Ad

Ad primum: In appellationis judicio cum Superior ſententiam prioris Judicis reſcindit, non ſemper illam irritat, eique vim omnem aufert: aliquando enim cum judicium ipſum fuerit ipſo jure nullum, & irritum vel ex defectu poteſtatis in Judice, vel ex omiſſione ſolemnitatis alicujus ad judicii valorem neceſſario requiſitæ, judiciali ſua auctoritate, ac poteſtate definit ſolum, prioris Judicis ſententiam fuiſſe ipſo jure irritam, nulliuſque eſſe roboris, ac valoris; & priorem Judicem debitis afficit pœnis, ſi inique ſe geſſit, legeſque impudenter violavit; reum vero ab eo damnatum in eum reſtituit gradum, in quo, antequam damnaretur, extiterat. Hæc autem omnia ab Innocentio petiit Chryſoſtomus. His enim verbis illum per litteras rogavit: „ Scribite „ precor, & auctoritate veſtra decernite, hujuſmodi inique geſta no„ bis abſentibus, & judicium non declinantibus nullius eſſe roboris. „ Porro qui talia geſſere, eos Eccleſiæ cenſuræ ſubjicite: nos autem „ inſontes, neque convictos, neque reprehenſos, neque ullius crimi„ nis reos comprobatos Eccleſiis noſtris jubete reſtitui „. Jam vero decernere ſua auctoritate, omnia inique geſta a prioribus Judicibus eſſe nullius roboris; ſubjicere Eccleſiæ cenſuræ priores Judices, qui inique ſe geſſerunt; reſtituere innocentem injuſte damnatum Eccleſiæ ſuæ nonniſi Supremus Judex poteſt, qui priorum Judicum ſententiam in gradu appellationis retractaverit, eamque iniquam eſſe, injuſtamque compererit. Nihil horum poteſt quilibet alius Antiſtes, qui non ſit Judex appellationis conſtitutus. Is enim quamquam poſſit, tanquam privatus Doctor, affirmare, latam a prioribus Iudicibus ſententiam eſſe nullius roboris &c.; Non tamen poteſt judicialiter, publicaque auctoritate quidquam decernere, aut prioribus Iudicibus pœnas infligere, aut Epiſcopum depoſitum gradui ſuo, Eccleſiæque reſtituere. Clauſula illa, quam ad calcem epiſtolæ Chryſoſtomi ſe legiſse teſtatur in vetuſtiſſimo Codice Mediceo Bigottus, ſuppoſititiam eſse, germanæque Chryſoſtomi epiſtolæ aſsutam cenſent Eruditi Viri. Ea enim deſideratur in vetuſtiſſimis optimæ notæ Codicibus, quos conſuluere Fronto Ducæus, Philippus Labbeus, Bernardus Montfauconus, & Petrus Coutantius, quorum poſtremus monet, tum in Codice Hamburgenſi, tum in optimis Chryſoſtomi editionibus non illam, ſed hanc haberi clauſulam: *Ora pro me, Domine Reverendiſſime, & Sanctiſſime.* Videri poteſt hac ſuper re eruditiſſimus Joannes Antonius Blancus de polit., & poteſt. Eccleſ. tom.5. par.2. lib.3. cap.5. §.7. Verum eſto:

Eam-

Eamdem Chrysostomus ad illos Episcopos epistolam dederit, quia illos ab Innocentio vocandos esse in consilium sciebat. Quid inde? Ab iis per eam epistolam Chrysostomus postulabat, ut consilio suo, quod Innocentio daturi erant, sibi ea conferrent, quæ ipse a Pontifice deposcebat. Certum est in Chrysostomi causa a solo Pontifice latum fuisse judicium, non ab Italiæ Episcopis, quibus non licebat sese Orientalium negotiis ingerere.

Ad secundum: non ad Concilium appellavit, sed juxta Sacros Canones, ac præsertim Sardicenses, legitimum Concilium optavit, ac petiit Chrysostomus, ut diluere in eo secundum juris ordinem posset intentatas adversum se criminationes. Illa autem verba, *licet absentes essemus, & ad Synodum appellaremus*, dicta a Chrysostomo sunt de eo tempore, quo nondum communione, & Sede privatus a Theophilo fuerat, sed quo ille illegitimam Synodum prope Chalcedonem congregabat. At appellatio jam latam supponit sententiam, quæ tunc sane non extabat. Audiantur Chrysostomi verba: „ Cum contestaremur „ paratos nos ad diluenda crimina, & ad innocentiam, sicut & innocentes sumus, declarandam coram centum, vel mille Episcopis, „ non assensit Theophilus, sed licet absentes essemus, & ad Synodum „ appellaremus, & judicium inquireremus, & non auditorium, sed „ manifestas inimicitias fugeremus; ipse tamen accusatores suscepit, „ meos excommunicavit, & de illis, qui nondum se de suis purgaverant criminibus, libellos colligit: quæ omnia Legibus, & Canonibus prohibita sunt. Et quid opus est multa dicere? Non destitit „ omnia facere, & tractare, donec nos vi, & potentia e Civitate, & „ Ecclesia ejiceret „. Post latam in Synodo ad Quercum sententiam Chrysostomus ad Romanum Pontificem appellavit, iterumque post aliam sententiam Synodi Constatinopolitanæ, ad eumdem confugiens provocavit. Utramque hanc sententiam improbavit Innocentius, utriusque executionem suspendit, ac restitui communioni, gradui, & Ecclesiæ jussit Chrysostomum: Œcumenicam vero Synodum, in qua tota causa per revisionem plenius retractaretur, necessariam esse dixit, non propter suæ potestatis defectum, sed quia cum potentes nimium essent Chrysostomi hostes, & Imperatricis Eudoxiæ patrocinio, gratiaque florerent, nonnisi Œcumenicæ Synodi majestate, ingentique Orientis, atque Occidentis Episcoporum numero, doctrinaque infringi eorum poterat audacia, atque exortarum tempestatum motus sedari. Repetantur ea, quæ hac de re diximus cap. 14. Ad

Ad tertium: satis ostendi superius, quid Chrysostomus petierit, quidve egerit Innocentius. Quoad Œcumenicam Synodum fateor, eam cogi non potuisse, quia a Schismaticis deceptus Arcadius Synodi celebrationi non consensit. At substitit semper Innocentii sententia, qua Chrysostomum in suam receperat communionem, suoque gradui, & Ecclesiæ restitui jusserat. Illius enim jam demortui nomen, quod e sacris Dyptichis fuerat decreto Concilii Orientalis expunctum, in ea referri omnino jussit, & neque Atticum Constantinopolitanum, neque Alexandrum Antiochenum, neque Acacium Beroensem, neque alios Orientales Episcopos in suam admisit communionem, nisi prius Chrysostomi nomen in Ecclesiæ Tabulas retulissent. Id autem decerni a Pontifice non potuisset, nisi rescissa prius sententia, quam in illum tulerant utriusque Synodi Orientales Episcopi. *Occidentis quoque Episcopi*, ut ait Theodoretus lib.5. cap. 34., *non prius cum Episcopis Ægypti, & Orientis, & Bosphori, atque Thraciæ communicare voluerunt, quam nomen illius Sanctissimi Viri in Tabulas, in quibus nomina Episcoporum mortuorum continebantur, retulissent, atque Arsacium ejus Successorem ne salutare quidem dignati sunt*. Id autem Pontificis judicio, quod de Chrysostomo tulerat, unice est tribuendum.

Ad Innocentium quoque appellarunt Bubalius, & Taurianus, quos Rufus Thessalonicensis in Macedoniæ Synodo damnaverat. Nolebat illos quidem Pontifex ad appellationem admittere, plurima enim adversus illos obaudierat. At eorum lachrymis, precibusque defatigatus causam retractavit, compertaque prioris sententiæ justitia, damnationem in Synodo latam confirmavit. Hanc appellationem fatetur de Marca, sed de ea loquens, parum reverenter scribit de sanctissimo Pontifice Innocentio, cujus tamen doctrinam, & sanctitatem tota semper suspexit Ecclesia: Sic enim ait lib.7. de Concordia cap: 13. *At Innocentius I. audaciæ subsidium a dignitate Sedis suæ petens atrox vulnus inflixit auctoritati Synodi Macedoniæ, cujus judicium retractavit in Causa Bubalii, & Tauriani ab ea Synodo damnatorum*.

Cum Helladium Tarsensem, & Eucherium Thyanensem Metropolitas, quod Nestorio adhæsissent, Œcumenica Ephesina Synodus dignitate, ac communione privasset; Antiochenus vero Patriarcha Joannes eos è suis sedibus expulisset; Appellarunt hi adversus Ephesinos Patres ad Sixtum III., tamquam ad Judicem, de negata sibi pace conquerentes, præsertim cum S. Cœlestinum Sixti Decessorem decretum re-

reprobaſſe dicerent, quo Epheſina Synodus Neſtorianis, qui è Sedibus ſuis fuiſſent extruſi, ſpem omnem veniæ, & reſtitutionis abſciderat. Hujus appellationis litteras ex antiquo Caſſinenſis Monaſterii Codice tranſcriptas refert Chriſtianus Lupus in ſua diſſertatione de Romana appellatione S. Flaviani. Notanda ſunt verba, quæ in litterarum exordio adhibent: *Noſtrum quidem eſt, qui triplices, multipliceſque patimur tempeſtates, & pene in Piratas incidimus, ad eum clamare, qui a Deo productus eſt Gubernator, eumque pro amore veritatis, quanta poſſibile eſt, edocere.* Producunt exempla S. Damaſi, qui ſurgentia ex Ægypto Zizania evellit; S. Petri Alexandrini Epiſcopi, & Maximi Cynici, qui ad S. Damaſum appellarunt; imo & antiquorum Pontificum ex. gr. S. Julii, qui in Orientales Epiſcopos ab Euſebiana Factione dejectos, & ad Romanam Sedem appellantes in ſuam Communionem recepit, ſuiſque reſtituit Eccleſiis; ad quæ quidem omnia ſufficere ajunt Apoſtolicam Sedem. En eorum verba: „ Et olim ſiquidem ſæpius jam ex Alexandria „ (hæc exempla proferunt, quia contra S. Cyrillum Alexandrinum, ejuſque duodecim Capitula diſputabant) „ hujuſmodi hæreticis zizaniis inſur-
„ gentibus, ſuffecit veſtra Apoſtolica Sedes per univerſum tempus illud
„ ad mendacium convincendum, impietatemque reprimendam, &
„ corrigenda, quæ neceſſarium fuit, muniendumque orbem terrarum
„ ad gloriam Chriſti, tam ſub illo ter Beato, & inter Sanctos habendo
„ Epiſcopo Damaſo, quam ſub pluribus aliis glorioſis, atque admira-
„ bilibus. Cujus rei gratia & nos præſumimus has ſupplicationes offerre,
„ ut adjuvetis orbem terrarum, & in illa parte, quæ errat, & in illa,
„ quæ Tyrannidem ſuſtinet „. Mox preces ſuas ſubdunt, ejuſque auctoritatem, ſupremamque judiciariam poteſtatem implorant: *Rogamus, & Sanctis tuæ Religioſitatis provolvimur pedibus, ut manum porrigas ſalutarem, & auferas Mundi naufragium, omniumque horum inquiſitionem jubeas fieri, & his illicitis cæleſtem ſuperduci correctionem, ut revocentur quidem Sancti Paſtores, qui injuſte ſunt a ſuis ovibus effugati, & reddatur gregibus priſtinus ordo, & antiqua concordia.* Addunt deinde, non tam privatum, quam commune eſſe plurium Provinciarum Epiſcopis conſilium hoc adeundi per appellationem Romanum Epiſcopum: „ Olim quidem cu-
„ curriſſemus ad Sanctitatem tuam nos, qui è diverſis Regionibus ſu-
„ mus, ideſt ex Euphrateſia, ex utraque Cilicia, ſecunda Cappado-
„ cia, Bithynia, Theſſalia, & Mæſia.... niſi detineret nos luporum
„ terror inſidiantium gregibus ad rapinam, & ad errorem, omnem-

„ que

„ que adversitatem. Unde coacti sumus nostra vice dirigere religiosissimos Clericos, & Monachos, qui impleant locum nostrum „. Coutantius in Notis ad hanc epistolam sic inquit: „ Hic notatu digna „ videtur ea in tota Nestorii causa partium festinatio, qua Nestorius ipse, „ Cyrillus, Joannes, ac Socii, Eutherius, ac reliqui Episcopi cum „ iis consentientes, idest hæretici, Catholici, Schismatici, seu a „ Schismate decedentes, seu in eodem pertinaces Apostolicæ Sedis „ Præsulem antevenire, ac sibi conciliare contenderunt „. At cur tanta omnium tum Catholicorum, tum hæreticorum, & schismaticorum festinatio, & cura in Romano Pontifice partibus suis conciliando? Profecto nonnisi quia communis Catholicorum, & Hæreticorum erat persuasio, Romanum Episcopum esse in universa Ecclesia supremum in omnibus sive Fidei, sive disciplinæ controversiis definiendis Judicem a Christo Domino constitutum. Effectus sane hujusce appellationis, de qua loquimur, fuit hic, teste Pagio ad annum 433. num. 12., ut ex indulto ejusdem Sixti quatuor Metropolitæ, videlicet Helladius Tarsensis, Eutherius Tyanensis, Dorotheus Marcionopolitanus, & Himerius Nicomediensis, qui in Ephesina Synodo deturbati de suo gradu fuerant, dummodo articulis pacis subscriberent, in locum suum regrederentur; integra vero manerent, quæ ab Ephesina Synodo fuerant constituta. Hæc infert Pagius ex rescriptis Sixti III. ad Cyrillum Alexandrinum, & ad Joannem Antiochenum.

Ad Sixtum III. appellarunt etiam Alexander Hierapolitanus Metropolita cum omnibus Provinciæ suæ Episcopis, Meletius Mopsuestenus, Theodoretus Cyrensis, & alii quinque Episcopi, uti patet ex epistola Meletii ad eumdem Alexandrum Hierapolitanum, & ex cap. 118., & 119. Synodici adversus Tragœdiam Irenæi. Appellationis causa eadem fuit, quæ superior, idemque fuit Romani Pontificis rescriptum. At Alexandro, Meletio, aliisque tredecim Episcopis nihil profuit appellatio. Cum enim in pertinacia sua perstitissent, potius exilium pati, quam cum S. Cyrillo Alexandrino in gratiam redire maluerunt.

Idduas Smyrnensis Episcopus exauctoratus in Synodo a Basilio Metropolita, appellavit ad Proclum Constantinopolitanum Antistitem. Hic Synodi judicium cassavit, & Idduam declaravit innocentem. Tunc Basilius, aut potius Idduæ accusator provocavit ad Sixtum III., qui Procli sententiam confirmavit: *Habes recentissimum*, sic ad Proclum Sixtus scri-

scribit epist. 16., *nuper habitæ actionis exemplum Fratris nostri Idduæ, circa quem Fraternitatis tuæ decrevimus judicium custodiri, cognitioni tuæ facere nolentes injuriam, cum ejus intentionem justissimam innocentia tuereris*. Videri potest Coutantius in Notis ad hanc epistolam.

Eutyches Archimandrita propter impiam, quam disseminabat, hæresim ab Eusebio Episcopo Dorylæensi accusatus, & a S. Flaviano Constantinopoli in Synodo anno 448. depositus, & Fidelium communione privatus, ad Apostolicam Sedem appellavit, in qua tunc sedebat S. Leo Magnus. Constat id 1. ex ejusdem S. Leonis epistolis, ac præsertim 7., aut 21. ad Theodosium Augustum, ubi sic habet: *Quamvis enim Eutyches ad Sedem Apostolicam libellum doloris sui querimoniam miserit; breviter tamen aliqua prælibavit, asserens se Nicænæ Fidei constituta servantem, frustra de fidei diversitate culpatum: Eusebii autem Episcopi accusatoris ejus libellus, cujus exemplaria ad vos prædictus Presbyter misit, de objectionis evidentia nihil habebat*. 2. Eutychetem appellasse constat ex luculento testimonio Seleuci Episcopi Amaseni, quod refertur act. 1. Concilii Chalcedonensis apud Harduinum tom. 2. pag. 198. 3. constat ex ipso appellationis libello, cujus exemplar ex M. S. Codice Cassinensi transcriptum, & cum alio Vaticano Codice cohærens protulit Christianus Lupus in dissert. de Romana appellatione Eutychetis. *De mea in Dominum*, inquit Eutyches in eo libello, *& Deum omnium Christum spe confidens . . . invoco vestram Sanctitatem*. Narrat in eo hæresis notam sibi ab Eusebio impactam, judicium a Flaviano in Synodo habitum, sententiam pronunciatam, fugam a se arreptam &c., & mox subdit: „ Ad vos „ igitur Religionis Defensores, & hujusmodi factiones execrantes con„ fugio . . . & obsecro, nullo mihi præjudicio facto ex his, quæ per „ insidias contra me gesta sunt, quæ visa vobis fuerit, super fidem meam „ proferre sententiam, & nullam deinceps permittere a factiosis con„ tra me calumniam procedere, & non excuti, & eximi de numero „ Orthodoxorum eum, qui in continentia, & omni castitate 70. an„ nos vitam peregit, itaut in ipso exitu vitæ naufragium patiatur „. Ejusmodi appellationem hic secutus est effectus, ut per Leonis Litteras suspensa fuerit sententia in Synodo adversus Eutychetem pronunciata, quemadmodum diserte affirmat Rusticus S. R. E. Diaconus, apud Baluzium, & Cacciari de hæres. Eutych. lib. 1. cap. 4.

At opponunt de Marca lib. 7. cap. 6., Launojus epist. 3. ad Boetiam; Quesnellus dissert. 7., Dupinius de antiqua Ecclesiæ disciplina dis-

differt.2., Eutychetem, aut non appellasse, aut ad alios etiam Patriarchas, præter Romanum Episcopum, appellasse. Primam partem probant ex epist. S. Flaviani ad S. Leonem, in qua Flavianus negat Eutychetem ad Pontificem appellasse: En ejus verba: *Litteræ nobis datæ sunt vestræ Sanctitatis, per quas sumus edocti, quia Eutyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia, atque calliditate, dicens judicii tempore libellos se dedisse appellationis & nobis, & hic convenienti Sancto Concilio, & appellasse Vestram Sanctitatem, quod nequaquam ab eo factum est.* Alteram partem probant 1. ex eo, quod Eutychetis extat epistola ad Dioscorum Patriarcham Alexandrinum, uti testatur Liberatus in Brev. cap.12. 2. ex eo, quod Constantinus Monachus, Eutychetis Procurator, in Synodo Constantinopoli jussu Imperatoris Theodosii anno 449. congregata constanter dixit: *Eutyches, dum legeretur damnatio, appellavit Sanctum Concilium Sanctissimi Episcopi Romani, & Alexandrini, & Hierosolymitani, & Thessalonicensis.*

Respondeo negari non posse, Eutychetem ad Romanum Pontificem omnino appellasse, nisi fidem omnem denegandam esse censeamus epistolis S. Leonis, S. Flaviani, aliisque authenticis documentis, quæ inserta legimus Actis Œcumenici Chalcedonensis Concilii. Ad probationem dico, S. Flavianum non negasse, quod Eutyches ad Romanum Pontificem appellaverit, sed negasse solum, quod hanc appellationem in ipso Concilio interposuerit; quod tamen Eutyches audacter affirmabat. Patet id 1. ex epist.8., sive 20. S.Leonis ad Flavianum, ubi ait: „ Accepimus libellum Eutychetis, qui se queritur, ac„ cusante Eusebio Episcopo, immerito communione privatum..... „ adeo ut in ipso judicio libellum appellationis suæ se asserat obtulisse, „ nec tamen fuisse susceptum, qua ratione compulsus sit, ut conte„ statorios libellos in Constantinopolitana Urbe proponeret „. Patet 2. ex epist. S. Flaviani ad S. Leonem, in qua hæc scribit: „ Litteræ „ nobis datæ sunt Vestræ Sanctitatis, per quas sumus edocti, quia Eu„ tyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia, atque callidita„ te, dicens, judicii tempore libellos se dedisse appellationis & no„ bis, & Sancto Concilio, & appellasse vestram sanctitatem; quod „ nequaquam ab eo factum est „. Mox Pontificem rogat, ne hæreticum hominem auscultet, sed Concilii in eumdem decreta confirmat: „ Sanctissime Pater..... propriam faciens communem causam.... „ simul decernere damnationem adversus eum regulariter factam, &

 „ pro-

„ propria scripta dignare „. Quod quidem mox præstitit Pontifex, uti constat ex Synodica Chalcedonensis Concilii ad S. Leonem. Quod autem ad alios etiam Patriarchas Eutyches appellaverit, falsum est. Scripsit quidem ad Dioscorum Alexandrinum, non ut ad eum appellaret, sed ut suæ causæ propitium redderet, ac patronum, eumque vehementius contra S. Flavianum irritaret, quocum simultatem eum gerere non ignorabat. Scripsit etiam Eutyches ad Sanctum Petrum Chrysologum Ravennatem Antistitem. Numquid etiam ad illum appellavit? Dictum autem Constantini Monachi nullam promeretur fidem. Nam 1. Florentius Patricius, qui Synodo jussu Imperatoris interfuit, testatus est coram Patribus, Eutychetem, *turba facta*, & *dissoluto conventu*, *silenter appellasse*. 2. interrogati Synodi Patres ab eodem Florentio, an Eutychetem in Concilio appellantem audiissent? responderunt, *nihil tale cognovimus dictum ab Eutychete de appellatione*, uti habetur in actione 1. Chalcedonensis Concilii. Tandem libelli appellationis, quos Eutyches dedit, & etiam nunc extant, ad solam Apostolicam Sedem, non ad alias Ecclesias delati conspiciuntur.

Cum S. Flavianus Constantinopolitanus Episcopus in Latrocinio Ephesino anno 449. ab impio Dioscoro per summum nefas una cum Eusebio Doryléo, Iba Edesseno, Theodoreto Cyrensi, Domno Antiocheno, aliisque plurimis Episcopis in odium Catholicæ fidei deturbatus de suo gradu fuisset; ad S. Leonem in ipso Concilio, consentientibus Apostolicæ Sedis Legatis, qui aderant, appellavit, iisque suæ tradidit instrumentum appellationis. Eam tamen ad finem usque persequi non potuit, quoniam a Dioscoro in ipsa Synodo calcibus, lethalibusque vulneribus ita fuit affectus, ut paulo post obierit. Comes Marcellinus scribit, Flavianum ita vulneratum Epipam Urbem Lydiæ missum in exilium fuisse, eodemque anno ibi occubuisse. Prosper Tyro in suo Chronico illum triduo post *inter manus* eorum, a quibus in exilium ducebatur, glorioso fine ad Christum transiisse refert. Eumdem sane tamquam Martyrem veneratur Ecclesia, quæ proinde in Martyrologio Romano ad diem 18. Februarii sic habet: *Constantinopoli S. Flaviani Episcopi, qui cum fidem Catholicam Ephesi propugnaret, ab impii Dioscori factione pugnis, & calcibus percussus, atque in exilium actus, ibidem post triduum vitam finivit*. Tot, ac tam præclari sunt hujus appellationis testes, ut de ea nonnisi impudenter quis dubitaret. Unum, aut alterum proferamus. S. Leo Magnus in epist. 25. ad Theodosium Imperatorem

torem de suis Legatis loquens, qui Eutychianorum conatibus obstiterant, inquit: *Quia & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flavianus Episcopus dedit .... Quam autem post appellationem interpositam hoc necessario postuletur, Canonum Nicææ habitorum decreta testantur*, quæ verba repetens in epist. 40. cap. 3. ad eumdem Theodosium, de Nicænis decretis mentionem faciens subdit: *quæ subter adnexa sunt*; adnectit autem Sardicensem Canonem de Romanis damnatorum Episcoporum appellationibus. Valentinianus III. Imperator in epistola ad Collegam suum Theodosium inquit: *Debemus dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemeratam nostris etiam temporibus conservare, quatenus Beatissimus Romanæ Civitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, & Sacerdotibus judicare. Hujus enim rei gratia secundum solemnitatem Conciliorum Constantinopolitanus Episcopus Flavianus eum per libellos appellavit propter contentionem, quæ orta est*. Idem testantur Hilarus Diaconus in litteris ad Pulcheriam Augustam, Prosper Tyro in Chronico, Liberatus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus in Breviario hæresis Eutichianæ cap. 12. Videri potest hac super re egregia dissertatio Christiani Lupi de Romana appellatione S. Flaviani.

Febronius cap. 5. de legibus, & appellationibus §. 8. num. 5. cum Paschasio Quesnello disert. 8. de Causa Flaviani, quem citat, concedit S, Flavianum appellasse, & appellationis libellum Legatis Papæ in sequelam Sardicensium Canonum tradidisse. At subdit, quod sicuti S. Leo vigore eorumdem Canonum de Causæ meritis, & substantia judicare non poterat, ita nec Flaviani causam coram se fecit ventilari, nec ejus judicandæ potestatem sibi arrogavit, sed ut generalis Synodus intra Italiam, convenientibus utique Orientalium Provinciarum Episcopis, celebraretur, ab Imperatore postulavit. Quamobrem ideo Flavianus Legatis Pontificiis libellum dedit appellationis, ut Leonis ope, ac ministerio obtineret suæ causæ in legitima Synodo retractationem. Irritum quidem habuit S. Leo Ephesini Latrocini judicium, quia in innocentem Flavianum per vim latum fuerat: at non inde sequitur, speciale judicium eatenus a Pontifice fuisse institutum. Postquam enim is intellexisset, ea, quæ Ephesi facta sunt, contra jus, fasque gesta esse, poposcit a Theodosio epist. 40., ut omnia in eo statu esse juberet, *in quo fuerant ante omne judicium, donec major ex toto Orbe Sacerdotum numerus convocaretur*; quod certe longe abest ab omni specie judicii definitivi a Pontifice sua auctoritate ferendi. Hactenus Febronius.

Re-

Respondeo: jam ostendi superius cap. 22., Sardicenses Canones non de mera revisione, sed de veræ appellationis judicio esse omnino intelligendos. Cum igitur Flavianus juxta Sardicenses Canones ad Sanctum Leonem appellaverit, jam hic causam Flaviani vel ipse per se, vel per Judices delegatos, suosque a Latere missos Legatos potuit retractare, juxta illud quinti Canonis Sardicensis: *faciet, quod sapientissimo consilio suo judicaverit*. Is igitur, postquam ab Hilaro Romanæ Ecclesiæ Archidiacono, ac Sedis Apostolicæ Legato, Romam reverso, Flaviani appellationem in Concilio oretenus factam, & ab Apostolicis Legatis acceptatam, & mox scripto iisdem Legatis traditam rescivisset, de more Synodum Provinciæ suæ, ac vicinarum Provinciarum coegit, in qua ea omnia, quæ sequuntur, Apostolica auctoritate decrevit. Latrocinium Ephesinum cassavit, Flaviani appellationem admisit, eumdem gradui suo, ac Sedi restituit, ac in plena Episcopali apud omnes Ecclesias communione firmavit, ejus appellationi suspensivum effectum tradidit, vetuit severissime, ne quisquam illi superordinaretur, retractatorium tandem judicium fieri voluit in Synodo, quæ intra Italiam celebraretur, & cui ipse, vel per se, vel per Legatos suos præesset; quæ quidem omnia se gessisse testatur S.Leo in Litteris tertio Idus Octobres scriptis ad Theodosium, ad Pulcheriam, ad Julianum Coensem Episcopum, ad S. Flavianum, aliosque. Pontificia hæc decreta alacriter tota Occidentalis admisit Ecclesia: at ne Orientalis etiam iis obtemperaret, vetuit Theodosius, qui hæreticorum fraudibus deceptus Eutycheti favebat, oderat vero Flavianum. Conatus est Leo modis omnibus a suo proposito revocare Theodosium. At cum labor omnis fuisset irritus, Orientales omnes Episcopos, qui latrocinali in S. Flavianum judicio consenserant, a suæ Apostolieæ Sedis, totiusque Occidentalis Ecclesiæ communione suspendit. Patet id ex Epist. 60. S. Leonis ad Anatolium, quem ad Marciani,&Pulcheriæ preces in Episcopatu Constantinopolitano confirmaverat, ubi sic habet: *De Fratribus vero, quos & epistolis tuis, & Legatorum nostrorum relatione communionis nostræ cupidos esse cognovimus, eo quod doleant se contra potentiam, contraque terrores non tenuisse constantiam, sed alieno sceleri præbuisse consensum, cum eos ita formido turbasset, ut in damnationem Catholici, atque innocentis Antistitis* (videlicet Flaviani) *& in receptionem detestabilis pravitatis trepido famularentur obsequio; illud quidem, quod præsentibus, & agentibus nostris constitutum est, approbamus, ut suarum interim Ecclesiarum essent communione contenti, sed cum Legatis nostris, quos misi-*

misimus, participata tecum sallicitudine volumus disponatur, quatenus hi, qui plenis satisfactionibus male gesta condemnant, & accusare se magis eligunt, quam tueri, pacis, & communionis nostræ unitate lætentur, itaut digno prius anathemate, quæ contra Fidem Catholicam sunt recepta, damnentur. At dum hæc omnia præstitit S. Leo, dicine potest, quod meram causæ revisionem statuerit? an potius fatendum est, illum munus suum Judicis appellationis exercuisse?

Flavianus certe ad Apostolicam Sedem, non ad Concilium appellavit. Ita testatur Galla Placidia Augusta, Constantii Imperatoris Vidua, & Mater Valentiniani in litteris ad Theodosium per hæc verba: „ Ad arbitrium unius hominis,„ nempe Dioscori „ qui in Synodo Ephe- „ sinæ Civitatis . . . . militum præsentia, & metu impetens Constanti- „ nopolitanæ Civitatis Episcopum Flavianum, eo quod libellum ad „ Apostolicam Sedem miserit &c. Mansuetudo itaque tua præcipiat, ut „ secundum formam, & definitionem Apostolicæ Sedis, quam & „ nos tamquam præcellentem similiter veneramur, in statu Sacerdotii „ illæso manente per omnia Flaviano, ad Concilium Apostolicæ Sedis „ judicium transmittatur, in qua primus ille, qui cœlestes claves fuit „ dignus accipere, Principatum Episcopatus ordinavit „. Id ipsum repetit eadem Galla Placidia, ac petit a Pulcheria Imperatrice per suas ad eamdem litteras: „ Clementia tua secundum Catholicam Fidem con- „ spirare dignetur, ut quidquid in illo tumultuoso, miserrimoque Con- „ cilio constitutum est, omni virtute removeatur, ut omnibus inte- „ gris permanentibus, ad Apostolicæ Sedis judicium, in qua primus „ Apostolorum Petrus Sacerdotii Principatum tenuit, Episcoporum „ causa mittatur „. Imo ita Flavianus ad Leonem appellavit, ut solam ejus auctoritatem ad totam causam expediendam sufficere affirmaverit, quin opus esset Concilio. Sic enim in epist. ad S. Leonem inquit: *Causa eget solummodo vestro solatio, atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis, & turbæ, quæ propter eam factæ sunt, facillime destruentur, Deo cooperante, per vestras sanctissimas litteras: removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur*, Quin etiam ipse S. Leo nullam ejusmodi Concilii fuisse fatetur necessitatem. Nam in epist. 16. ad S. Flavianum sic scribit: *Clementissimus Imperator pro pace Ecclesiæ sollicitus Synodum voluit congregare, quamvis evidenter appareat, rem, de qua agitur, nequaquam Synodali indigere tractatu.* Quamquam autem necessarium non esset Concilium,

cilium, quod ut cogeretur, a Theodosio S. Leo postulavit; cum tamen utilissimum esset futurum ad obortos adversus Catholicam Fidem errores eliminandos, ad Schismata componenda, ad reddendam denique Ecclesiæ pacem; Idcirco illud celebrari curabat, statueratque, ut in eo Flaviani causa retractaretur. Cæterum quanta fuerit in tota hac causa potestas, ac jurisdictio Romani Pontificis, dignosci facile potest, si Concilii Calcedonensis Acta percurrantur. Consuli etiam potest Joannes Antonius Blancus de potest., & polit. Eccles. lib. 3. cap. 5. §. 15.

In Ephesino quoque Latrocinio de Episcopali Sede, & gradu deturbatus, quamquam inauditus, & absens, Theodoretus Cyrensis Episcopus, ad S.Leonem Magnum appellavit. En ejus verba in epist. 113. ad S. Leonem: „ Oro, atque obtestor sanctitatem tuam, ut rectum, „ ac justum Tribunal vestrum invocanti opem ferat, jubeatque ad vos „ venire, & doctrinam meam Apostolicis vestigiis inhærentem ostendere.... Ante omnia ut a Vobis docear, oro, an me oporteat in „ hac injusta depositione acquiescere, an non? Vestram enim sententiam expecto. Quod si in judicatis manere jusseritis, manebo, ne„ que ulli deinceps hominum molestus ero, sed rectum Dei, Salva„ torisque nostri judicium expectabo „. Neque dicas, Theodoretum non ad Leonem, sed ad Concilium appellasse, quoniam ad Renatum S. R. E. in S. Clementis titulo Presbyterum Cardinalem, & S. Leonis in Ephesino Latrocinio Legatum sic scripsit: *Oro Sanctitatem tuam, Sanctissimo, ac Beatissimo Archiepiscopo persuadeat, ut Apostolica Auctoritate utatur, & ad Concilium vestrum advolare præcipiat*. Nam ibi loquitur de solius Romanæ Provinciæ Synodo, cujus consilio in gravioris momenti controversiis dirimendis Romanos Pontifices uti solere non ignorabat. Patet ex iis, quæ immediate subdit: *Habet enim sanctissima illa Sedes Ecclesiarum, quæ in toto Orbe sunt, Principatum multis nominibus, atque hos ante omnia, quod ab hæretica tabe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit, sed Apostolicam gratiam integram conservavit. Quæ a vobis fuerint judicata, in his, qualiacumque ea erunt, judicii vestri æquitati confidentes acquiescemus*. Appellantem Theodoretum admisit; & exaudivit Leo, illum in suo gradu reponens, suæque sedi restituens, & quidem per sententiam peremptoriam, ac definitivam, uti ex Actis Concilii Chalcedonensis luculenter patet. Nam actione 1. Patres dixerunt? *Ingrediatur Reverendissimus Episcopus Theodoretus, quia restituit ei Episcopatum Sanctissimus Archiepiscopus Leo*. Et actione 8. dixerunt: *Jam dubi-*

dubitatio de Theodoreto Reverendissimo Episcopo est solata, *quippe*, *& Nestorium coram nobis anathematizavit*, *& a SS. Archiepiscopo Senioris Romæ Leone susceptus est*. Imo Theodoreti causam retractari in Concilio noluerunt, neque relegi acta prioris Judicii, quod S. Leo post admissam appellationem instituerat. Sic enim eadem act. 8. statuerunt: *nihil relegi volumus*, *modo anathematiza Nestorium*.

Joannes Talaja Patriarcha Alexandrinus, cum de ordinatione sua Synodicas litteras, teste Liberato Diacono cap. 17., Acacio Constantinopolitano Episcopo non misisset, ejusdem Acacii opera duorum criminum per calumniam accusatus, Zenonis Imperatoris jussu de Episcopali Sede dejectus est, eique Petrus Mogus hæreticus Eutychianus surrogatus. Joannes ad S. Simplicium Papam appellans, Romam venit, suasitque Pontifici, ut Acacio primum scriberet, eique, quod justum esset, præciperet. Libentissime id præstitit Simplicius: at cum respondisset Acacius, non Joannem, sed Mogum, quem Imperatoris jussu in suam communionem admiserat, Præsulem esse Alexandrinum; alteras ad eum scripsit litteras, sed objurgationis, & minarum plenas. Interea, demortuo Simplicio, Joannes ejus Successori Felici III. libellum accusationum adversus Acacium obtulit, uti testatur Evagrius lib. 3. cap. 18. Hic, missis Constantinopolim Legatis suis Vitali, & Miseno Episcopis, Petrum Mogum e Sede Alexandrina expelli, eamque Talajæ restitui jussit: Acacium vero Romam accersivit, ut rationem eorum redderet, quæ Joannes objiciebat. Verum cum Legati minis, blanditiisque devicti suum non explessent munus, sed cum Acacio communicassent; Eos Romam reversos Felix anno 484. in Romana Synodo ab officio, & communione suspendit, Acacium vero, & Mogum communione, ipsoque Christiano nomine privavit. Tandem quoniam nulla spes erat, ut, mutato in melius Acacii, & Zenonis animo, Talaja Sedem suam recuperaret; Nolanam ei Ecclesiam, uti testatur Liberatus, commendavit: Eum tamen Alexandrino Episcopatui plene reddidit, & Patriarchæ dignitatem, ac titulum, secundæque Sedis honorem jussit retinere.

Stephanus Larissæ Episcopus, & Thessaliæ Metropolita jussu Epiphanii Patriarchæ Constantinopolitani, qui Orientalis Illyrici Ecclesias suo Patriarchatui adscribebat, Constantinopolim deportatus invitus, in collecta ex advenis Episcopis Synodo fuit injuste degradatus. Appellavit proinde ad Bonifacium II., ad quem per Theodosium Episcopum

Echiniensem suæ misit appellationis libellum, ex quo pauca notatu digna audiamus: „ Cum igitur nihil approbatum de me fuisset, nec ulla esset
„ Canonicæ ultionis culpa digna inventa, sententiam protulerunt, &
„ condemnantes me a Sacerdotali officio suspenderunt, cum me con-
„ stet non dimissum fuisse pro meis plenius partibus allegare, sed & pe-
„ tenti aliqua meæ causæ profutura ostendere non esse permissum. Qua-
„ propter supplicabam, ut non ante sententia diceretur, quam, quæ
„ acta sunt, ad vos Beatissimos referrentur, ut inde vestra causæ di-
„ scussio servaretur: quod dictum magis eos adversum me incitavit,
„ putantes de Sacrarum Ecclesiarum Regiæ Urbis jure aliquid minui,
„ quod ego Apostolicam vestram Sedem visus sum nominasse. Ete-
„ nim dixi, quia auctoritas Sedis Apostolicæ, quæ a Deo, & Salvato-
„ re nostro est Summo Apostolorum data, omnibus Sanctarum Eccle-
„ siarum privilegiis antecellit, in cujus confessione omnes Mundi ac-
„ quiescunt Ecclesiæ. Sententia igitur lecta, justam denuo vestram Au-
„ dientiam imploravi, apud quam nulla cujuslibet disceptatio vestram
„ potest disturbare justitiam, sed timor Dei, qui inest in vobis, ipse
„ unicuique facit per vos sua jura restitui.... Constat, Venerandos
„ Sedis vestræ Pontifices, quamvis in toto Mundo Sedes Apostolica
„ Ecclesiarum sibi jure vindicet Principatum, & solam in Ecclesiasticis
„ causis undique appellare necesse sit, specialiter tamen gubernationi suæ
„ Illyrici Ecclesias vindicasse „. His acceptis appellationis litteris, Bonifacius Synodum Romæ habuit anno 431., quam ex Barberina Bibliotheca desumptam edidit Lucas Holstenius. At cum ea sub finem mutila sit, quid in Synodo statutum fuerit, ignoramus. Huic Stephani appellationi se comites adjunxerunt Elpidius Thebanus, Timotheus Cæsaræensis, & Stephanus Laminensis, e quibus cum duo illum consecrasent, dira quælibet ab Epiphanio Patriarcha sibi metuebant. Quamobrem ipsi quoque appellationis litteras ad Bonifacium miserunt, quas sic concludunt: *Pro his & vestram appellamus Beatitudinem, & Apostolicam Sedem; & per eam ter Beatum Petrum, atque Sanctæ Ecclesiæ primum Doctorem Christum Dominum nostrum audire, & adorare credimus, sperantes, ut miserorum hominum petitionem minime despiciatis, sed ista congrua emendatione corrigentes rebus istis succurrentes, remedium dare dignemini.*

Adrianus Thebanus Episcopus a Joanne primæ Justinianæ Metropolita injuste Ecclesia sua privatus, ad S. Gregorium Magnum appellavit. Hic, uti patet ex epist. 6. lib. 3., alias 2., rescissa Joannis senten-

tia,

tia, Adrianum Ecclesiæ suæ restituit; Joannem vero, quod expertem criminis, & appellantem ad Apostolicam Sedem Episcopum condemnare ausus fuisset, objurgavit asperrime, & ad 30. dies a Sacrorum communione suspendit.

Injuste etiam a sua Sede in Synodo Provinciali depositus a Paulo Cretensi Metropolita Joannes Lapsensis Episcopus, ad S. Vitalianum Papam appellavit, a quo suæ redditus Ecclesiæ fuit, Paulus vero gravissime objurgatus, quod eidem Joanni ad Apostolicam Sedem appellanti, Romam veniendi facultatem denegasset, uti constat ex S. Vitaliani litteris ad Paulum apud Labbeum tom. 6.

In Concilio Constantinopolitano III., quod est VI. Œcumenicum, anno 680. anathemate percussus, pallioque, & Patriarchatu privatus Macarius Antiochenus Patriarcha Monothelita, in exilium pulsus fuit a Constantino Pogonato Imperatore, uti constat ex Synodo 6. ab act. 1. ad 8., & ex Synodo Nicæna II. act. 1. apud Labbeum tom. 6., & Harduinum tom. 3. Is autem a sextæ Synodi sententia ad S. Agathonem Papam appellavit, uti docent Baronius ad ann. 682.; Binius in Notis ad Synodum VI., & Fleury ad annum 682. Certum saltem est, illum postulasse, ut cum Stephano, & Polichronio, aliisque Monothelitis Romam ad S Agathonem mitteretur, apud quem causam suam judiciò experiri posset. Facultatem eundi Patres dedere, & in Synodica ad Agathonem scribunt, se juxta litteras ab eo missas processisse adversus Monothelitas, ejus vero potestati integrum relinquere, quidquid novi quoad damnatorum hominum Causam emergeret. En Synodicæ verba: *Itaque tibi, ut primæ Sedis Antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit, relinquimus stanti super firmam fidei petram, libenter acquiescentes veræ Confessionis litteris a Vestra paterna Beatitudine ad piissimum Imperatorem missis, quas ut a Summo Apostolorum vertice divine perscriptas agnoscimus.* Hæc Synodica extat in Synodo VI. una cum Epistola Imperatoris ad S. Agathonem, ubi de Macario, Stephano, & Polichronio Episcopis hæc dicit: *Œcumenici Concilii sententia Sacerdotali dignitate moti sunt, & ad Sanctissimi Papæ probationem sunt transmissi.* S. Leo II., & S. Benedictus II., qui in Romano Pontificatu S. Agathoni successerunt, nihil non tentarunt, ut Macarius resipisceret, ac Monothelismum ejuraret. Verum cum ille in errore suo contumax persisteret, Sextæ Synodi sententiam confirmarunt, eumque iterum anathemate percusserunt.

Alia plura ejusmodi appellationum exempla proferre possem in

medium, quæ tamen brevitatis gratia lubens prætermitto. Illud autem ad immortalem Ecclesiæ Orientalis gloriam adnotare hic juvat, quod quamquam magna ejusdem pars Photiano infecta schismate, aut hæresis imbuta veneno a Romani Pontificis obedientia, & a Romanæ Ecclesiæ communione desciverit; Illæ tamen Orientis Ecclesiæ, ac Nationes, quæ sese ab ejusdem Romanæ Ecclesiæ sinu divelli passæ non sunt, sed cum illa in Fidei, & Communionis unitate perstiterunt, illæsum Apostolicæ Sedi servarunt jus recipiendi appellationes, perpetuoque etiam usu confirmarunt. Neque vero vel ad gratiam aucupandam, vel ad temporale sibi comparandum subsidium id factum fuisse aliquis suspicetur. Quicumque enim regionum illarum a Romana Sede longinquitatem, miseramque earum conditionem parumper cogitet, cum vel Infidelium imperio subsint, vel ab infidelibus Nationibus circumambiantur, quin a Romano Pontifice vel ad jugum excutiendum, vel ad augendam potentiam juvari possint; Profecto non aliam ob causam id eas præstitisse affirmabit, nisi quia Catholicam doctrinam, atque Ecclesiasticam disciplinam, quam a Majoribus suis acceperant, constanter, firmiterque retinuerunt, ac retinent. Et sane incredibile dictu est, quanta semper cura, diligentiaque Orthodoxi earum regionum Patriarchæ, atque Antistites peculiaria Ecclesiarum suarum privilegia, vetustamque disciplinam, ne ulla in eam obreperet novitas, aut perturbatio, custodierint, ac tueantur. Ne autem longior sim, aliqua dumtaxat earum appellationum exempla, quas ab istis Ecclesiis ad Apostolicam Sedem hoc ipso, quo vivimus, sæculo delatas fuisse scimus, commemorabo. Earum omnium authentica monumenta, ultimaque super iis a Romanis Pontificibus prolata sententia in Archivo Sacræ Congregationis de Propaganda Fide diligenter asservantur.

I. Cyrillus Senior, & Athanasius, Patriarchæ Antiocheni Græco-Melchitarum, orta super canonica eorum electione controversia, Romam ad Clementem XI. provocarunt. Hic, rebus omnibus, & actis mature perpensis, auditoque suffragio aliquorum Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide, ultimam tulit sententiam, cui Orientales reverenter acquieverunt, totaque lis dirempta fuit.

II. Cum Cyrillus Junior, Patriarcha Græco-Melchitarum Antiochenus, in Episcoporum consessu habito in Monte Libano ann. 1736. decretum aliquod super jejuniorum observantia edidisset, quo vetustissima ejusdem Ecclesiæ disciplina relaxabatur, & novitatem aliquam, unde

unde confusio oriri posset, ac scandalum, in patrios ritus, veteresque consuetudines introducere niteretur; Episcopi aliqui, & Monachi ex Ordine S. Basilii ad Clementem XII., eoque demortuo, ad Benedictum XIV. appellarunt. Pontifex hic Sanctissimus, doctissimusque, postquam totam sedulo causam discussisset, plura super propositis quæstionibus edidit decreta, eaque simul collecta in Orientem misit per suas Litteras in forma Brevis datas die 24. Decembris 1743. incipien. *Demandatam cœlitus*; quas Patriarchæ Antiocheno Græcorum Melchitarum, omnibusque ejusdem Ritus Catholicis Episcopis eidem Patriarchæ subjectis inscripsit,

III. Idem Patriarcha Cyrillus Junior, consentientibus in Synodo Episcopis, quos suis partibus addixerat, Antiochenum Patriarchatum Ignatio Giohar sororis suæ filio renunciaverat. Ægre id tulerunt Athanasius Dehan Melchita, Beryti Archiepiscopus, aliique cum eo Antistites, & Monachi, qui Sacrorum Canonum statutis eam electionem adversari arbitrabantur. Quamobrem adversus illam a Patriarchæ, Synodique decreto ad Clementem XIII. provocarunt, quem adhuc in Petri Cathedra sedentem Deus Optimus Maximus totius Ecclesiæ bono diutissime servet incolumem. Is autem, re mature perpensa, per ultimam, quam tulit, sententiam toti controversiæ finem imposuit.

IV. At cum postmodum eumdem Athanasium Dehan collecti in Synodo Episcopi in Antiochenum Patriarcham elegissent, atque is Theodosii sibi nomen assumpsisset; Ignatius Giohar cum iis, qui sibi favebant, Episcopis adversus ejusmodi electionem a Synodi decreto ad Apostolicam Sedem appellavit. Sanctissimus autem Pontifex Clemens XIII. causam in gradu appellationis cognovit, eamque Apostolica auctoritate definivit.

V. Jacobum Evodium Antiochenum Patriarcham Syro-Maronitarum per Synodalem sententiam Episcopi deposuerant. At is continuo appellationem ad Clementem XI. interjecit, a quo cognita causa, supremoque judicio definita, Sedi suæ restitutus est.

VI. Exemplum Orientalium ad Apostolicam Sedem appellationis hoc eodem sæculo, quo vivimus, habitæ iisdem verbis referre hic juvat, quibus utitur Benedictus XIV. in suo decreto edito die 13. Martii 1743., uti habetur in ejus Bullario tom. 1. constit. 77. Sic itaque ait doctissimus Pontifex: *Quod non humana, sed divina decretum est sententia a Numidiæ Antistitibus, antiquæ traditionis exempla servantibus, & Ec-*

clesia

clesiasticæ memoribus disciplinæ, ut ad Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis referretur judicium, quidquid, quamvis de disjunctis, remotisque Provinciis, ageretur; nec prius ducerent finiendum, nisi ad ejusdem Sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate, quæ fuerit justa pronunciatio, firmaretur; id sæpe alias, & nuper ab inclyta Maronitarum de Orthodoxa Fide, & obedientia eidem Apostolicæ huic Sanctæ Sedi debita semper tantopere meritorum Natione præstitum est, cum post obitum bonæ memoriæ Josephi Petri, dum viveret, Antiocheni ejusdem Nationis Patriarchæ extra Romanam Curiam universæ carnis finem ingressi, scissuris, & dissensionibus ob duorum Patriarcharum electiones exortis, ad nos ambo electi appellantes pallio etiam donari postularunt. Enimvero sex quidem ex una parte convenientes Antistites Venerabilem Fratrem Eliam Archiepiscopum Arcensem, pauci vero alii ex parte altera Venerabilem pariter Fratrem Tobiam Archiepiscopum Napolosiæ seorsim diversis in locis, in Patriarcham hujusmodi eligere ausi fuerunt. Ambo igitur, ut præmittitur, Electi, sive Postulati prætensi Patriarchæ ad Nos, & Apostolicm Sedem recursum habentes, enixis precibus rogarunt, ut cujusque electionem approbare, ratam habere, & confirmare, atque pallium etiam transmittere de benignitate, & potestate Apostolica dignaremur. Mox subdit Pontifex, se causam discutiendam commisisse particulari Congregationi nonnullorum Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide, ut omnia causæ momenta mature perpenderent, sibique suffragia sua referrent. His ille auditis, utramque electionem, seu postulationem esse nullam, irritam, atque inanem, adeoque Patriarchalem Antiochenam Ecclesiam adhuc vacare declaravit, ejusque ita vacantis collationem, provisionemque quandocumque faciendam sibi, & Apostolicæ Sedi reservavit. Et sane post triduum idem Sanctissimus Pontifex ad Antiochenum Patriarchatum Simonem Evodium Archiepiscopum Damascenum Suprema sua auctoritate transtulit, eique, ne impositum detrectaret onus, in virtute sanctæ obedientiæ præcepit, ut Patriarchalis Ecclesiæ possessionem, statim ac Pontificias Litteras accepisset, nulla interposita mora, caperet, uti fusius videri potest in Litteris in forma Brevis ad eumdem Simonem Archiepiscopum Damascenum datis die 13. Martii 1743., quæ referuntur in ejusdem Pontificis Bullario tom.1. Constit.78.

VII. Tobias Gazenus, olim Napolosiæ, mox Cypri Archiepiscopus, cujus superius meminimus, cum post Antiocheni Patriarchæ Simonis obitum in ejus locum electus fuisset,& Patriarchalem Sedem legitime occuparet,

paret, graves, ut ipse censebat, ob causas in Episcoporum suorum Synodo, ac de eorum consensu ab Episcopatu Berytensi deposuit Josephum Stephani, qui nunc eidem vita functo suffectus, Antiochenum obtinet Patriarchatum. Hic ad Clementem XIII. continuo provocavit, ab eoque causa in gradu appellationis per ultimam sententiam dijudicata, redditus Ecclesiæ suæ fuit.

CAPUT V.

Romanæ Occidentalium Appellationes post Sardicensem Synodum ante sæculum nonum interjectæ.

PRæcipuas etiam hic appellationes commemorabo, quas post Sardicensem Synodum ante sæculum nonum Occidentales ad Apostolicam Sedem interposuere.

Sub finem anni 411. in Carthaginensi Synodo a Paulino S. Ambrosii Diacono accusatus, convictusque de hæresi Cœlestius, Pelagii discipulus, ac proinde a Fidelium communione sejunctus, ad Innocentium I. appellavit, cujus tamen reformidans judicium, Ephesum fugit, & nonnisi sexennio post Romam venit. Anno 415. Hierosolymæ contra Pelagium, & Cœlestium, instante Presbytero Hispano Orosio, indicta Synodus est, quæ tamen ad Summum Pontificem causæ totius examen remisit. At Diospolitana Synodus, quæ contra eosdem, ab Episcopis Herote Arelatensi, & Lazaro Aquensi de hæresi accusatos, coacta eodem anno est, ancipiti Pelagii, qui aderat, sermone decepta, Pelagium quidem absolvit, ejus tamen hæresim non admisit, sed damnavit. Interea e Palæstina in Africam profectus Orosius de iis, quæ in Palæstina Synodo contigerant, certiorem fecit Aurelium Carthaginensem: quare duplex in Africa anno 516. habita Synodus est, altera Carthagine, Milevi altera in Numidia. Prior Cœlestium, & Pelagium anathemate iterum perculit, & per Synodicam Innocentium rogavit, ut Synodi Acta, quæ mittebantur, approbaret. Posterior nihil decrevit, sed integrum Causæ judicium una cum Synodica ad eumdem Innocentium misit, cui inter reliqua scribit: *Arbitramur, adjuvante Misericordia Domini Dei nostri, qui te & regere consulentem, & orantem exaudire dignatur, auctoritati Sanctitatis tuæ de Sacrarum Scripturarum auctoritate deprompta facilius eos, qui tam perversa, & perniciosa sentiunt, esse cessuros.* Innocentius, acceptis hisce Africanorum Patrum relationibus, eos laudat,

quod

quod graviſſimam Cauſam ad ſuum Tribunal detuliſſent, ad quod difficiles Fidei, ac diſciplinæ cauſas eſſe deferendas affirmat: tum Pelagium, ac Cœleſtium damnat: *nam*, ut inquit in reſcripto ad Carthaginenſem Synodum, *nec noſtra communione ſunt digni, quam prædi cando taliter polluerunt*, &, ut ait in epiſt. ad Synodum Milevitanam, *Pelagium, Cæleſtiumque Eccleſiaſtica communione privari Apoſtolici vigoris auctoritate cenſemus*. Hæc Pontificia reſponſa Auguſtinus reſpiciens ſerm. 131. novæ edit. de verbis Apoſtoli inquit: *Jam de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam: inde etiam reſcripta venerunt: Cauſa finita eſt: utinam aliquando finiatur error*! & lib. 2. Operis imperfecti, Juliano Eclanenſi reſpondens, qui omnium prior inaudito exemplo auſus fuit ad generale Concilium appellare, in reſponſ. 103. interrog. ait: *Quod adhuc quæris examen, quod jam factum eſt ad Apoſtolicam Sedem? Damnata ergo hæreſis non adhuc ab Epiſcopis examinanda, ſed coercenda eſt a Poteſtatibus Chriſtianis*. Quamquam autem Pelagii, Cœleſtiique dogmata priores Africani Patres condemnaſſent; veriſſime tamen cecinit S. Proſper in carmine de ingratis: *peſtem ſubeuntem prima recidit Sedes Roma Petri*; veriſſimeque de S.Innocentio I. ſcripſit Facundus Hermianus lib.7. cap.3. *Pelagianam hæreſim primus condemnavit*. Privata enim fuit Afrorum Epiſcoporum cenſura, cumque ab illa Cœleſtiùs ad Apoſtolicam Sedem appellaſſet (quod etiam deinde præſtitit Pelagius, doloſis ad Innocentium datis litteris, ſubdoloque exhibito Fidei libello) jam integrum cauſæ judicium Innocentio fuerat reſervatum. Ipſe itaque primus adverſus Pelagianam hæreſim peremptoriam edidit ſententiam, qua tota Eccleſia obligaretur. At mortuo Innocentio, apud ejus Succeſſorem Zoſimum, tam Pelagius, quam Cœleſtius expoſtulare adverſus Africanas Synodos cœpit, ejuſque judicium invocavit. Zoſimus ann. 417., coacta Romæ Synodo, Cœleſtii libellum legi juſſit, in quo originale negabat peccatum; ſed quia paratum ſe ad errorem corrigendum, ſi forte erraſſet, profitebatur, eaque omnia, quæ Apoſtolica damnaret Sedes, ſe damnaturum ſpondebat; ejuſmodi profeſſionem ſinceram Zoſimus putans, libellum quidem non damnavit, Cœleſtium tamen abſolvere renuit, donec ab Africanis Epiſcopis de tota rei ſerie certior fieret. Iis vero amare ſcripſit, objurgans, quod Herotis, & Lazari, de quorum moribus ſiniſtram opinionem habebat, accuſationibus nimium detuliſſent. Lectis autem poſtmodum in Synodo doloſis Pelagii litteris ad Innocentium, ejuſque Fidei libello, amarius ad Afros ſcripſit, illoſque intra duos menſes reddere

dere

dere rationem eorum jussit, quæ contra Cœlestium gesta fuerant. Africani Patres, duabus Carthagine Synodis celebratis, Synodicam primum ad Zosimum miserunt, qua Pelagiana hæresis detegebatur; deinde aliam etiam prolixiorem dederunt, quæ gesta contra Pelagianos continebat, sed integrum eorum omnium judicium Pontifici relinqui affirmabat. Tunc Zosimus Cœlestium iterum in judicium vocavit, cumque hic sibi metuens aufugisset, decretoriam adversus illum, & adversus Pelagium dedit sententiam, misitque ad universos Orbis Episcopos epistolam, quam *Tractoriam* Mercator vocat. Hanc Tractoriam ad Orientales etiam Ecclesias, & ad Africanos scripsit Episcopos, qui in Synodo collecti non modo profligatam hæresim Zosimo gratulati sunt, verum etiam ad Tractoriæ normam novem Canones adversus hæresim Pelagianam ediderunt, quorum habetur mentio apud Sanctum Augustinum in epist. 157., nunc 190. ad S. Optatum, & apud S. Prosperum lib. contra Collatorem cap. 5. Quæ hactenus diximus, constant ex Apologia Orosii, ex S. Augustino lib. de gestis Pelagii, lib. de peccato originali, lib. contra Julianum, lib. ad Bonifacium, aliisque ejusdem operibus.

Ex Epistola, quam Zosimus, post latam in Pelagianam hæresim, ejusque sectatores sententiam, Africanis Patribus rescripsit, aliqua decerpo, quæ ad rem nostram plurimum faciunt. Sic ergo scribit S. Zosimus: „ Quamvis Patrum traditio Apostolicæ Sedi auctoritatem tantam „ tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet, idque per Ca- „ nones semper, regulasque servaverit, & currens adhuc suis legi- „ bus Ecclesiastica Disciplina Petri nomini, a quo ipsa quoque descendit, „ reverentiam exsolvat; tantam enim huic Apostolo Canonica anti- „ quitas super sententias omnium voluit esse potentiam, & ipsa quo- „ que Christi Dei nostri promissio, ut & ligata solveret, & soluta vin- „ ceret; par potestatis data conditio in eos, qui Sedis hæreditatem „ ipso annuente meruissent. Habet enim cum omnium Ecclesiarum, „ tum hujus maxime, ubi sedit, curam, nec patitur aliquid amittere „ privilegii, aut aliqua titubare aura sententiæ, cui vi ipsa sui nominis „ firma, & nullis hactenus acta motibus constituit fundamenta, & quæ „ sine suo periculo temere nullus incesset. Cum ergo tantæ auctoritatis „ Petrus caput sit, & sequentia omnium majorum studia servaverint, „ ut tam humanis, divinisque legibus, & disciplinis omnibus firmetur „ Romana Ecclesia, cujus locum nos regere, & potestatem nominis „ obtinere non latet vos, sed nostis, Fratres Charissimi, & quemad-

„ modum Sacerdotes ſcire debetis; Tamen cum tantum nobis eſſet „ auctoritatis, ut nullus de noſtra poſſit retractare ſententia; nihil „ egimus, quod non ad veſtram notitiam noſtris ultro litteris referre- „ mus, dantes hæc Fraternitati, ut in commune conſulentes, non „ quia quid deberet fieri, neſciremus, aut faceremus aliquid, quod „ contra utilitatem Eccleſiæ veniens diſpliceret; ſed pariter vobiſcum „ voluimus habere tractatum de illo, qui apud nos, ſicut ipſi per litte- „ ras dicitis, fuerit accuſatus, & ad noſtram, qui ſe aſſereret innocen- „ tem, non refugiens judicium ex appellatione priſtina, venerit Se- „ dem, Accuſatores ſuos ultro depoſcens &c. „ Hæc, quæ S. Zoſi- mus ſcripſit, certe non hauſit ex falſis Iſidori Decretalibus, quæ nonniſi ſæculo nono editæ in lucem ſunt.

S. Briccius Turonenſis Epiſcopus, anno 430. ex tumultu concitatæ in ſe plebis ejectus, Romam venit, & appellavit. De eo ſic ſcribit S. Gregorius Turonenſis lib. 2. Hiſt. Franc. cap. 11. „ Poſt cujus abſceſ- „ ſum ajunt Turonici ſuo Sacerdoti Juſtiniano, quem Briccio ſuperor- „ dinaverant: vade poſt eum, & exerce negotium tuum: quia ſi pro- „ ſecutus eum non fueris, ad noſtrum omnium contemptum humiliabe- „ ris. Juſtinianus vero egreſſus a Turonis, Vercellas Italiæ Civitatem „ aggreſſus, judicio Dei percuſſus, obiit peregrinus „. Cum autem per ſeptennium Romæ manſiſſet, a Sixto III. per ſententiam declaratus eſt innocens, acceptiſque Pontificis litteris in ſuam rediit Sedem, in eaque priſtino cum honore receptus eſt. Videri poteſt Tillemontius tom. 4. Monum. Hiſt. Eccleſ. pag. 264.

Heros Arelatenſis, & Lazarus Aquenſis in Gallia Epiſcopi in Gallicanis Synodis damnati, Romam appellaverunt, & acceſſerunt. Eorum cauſam Zoſimus in gradu appellationis retractavit, & re mature diſcuſſa, ſententiam a Synodis latam confirmavit. Hi Roma abeuntes in Palæſtinam ſeceſſerunt, ubi Pelagium de hæreſi accuſarunt, & ad Synodum Dioſpolitanam perduxerunt, uti ſuperius diximus. Fuſe de Herotis, & Lazari criminibus, appellatione, & condemnatione loquitur S. Zoſimus Papa in litteris ad Africanos Epiſcopos.

Tuentius Clericus propter hæreſim Priſcillianam, aliaque crimina damnatus in Synodo, Romam venit, & ab Apoſtolica Sede gratiam pœnitentiæ eſt conſecutus. Non poterat quidem Clericus pœnitens juxta Canones ad majorem, multoque minus ad Epiſcopalem gradum aſcendere. Tuentium tamen adhuc conſecravit Epiſcopum Proculus

Maſ-

Massiliensis tamquam secundæ Narbonensis Metropolita, etsi ei Metropoliticum istiusmodi jus Romanus Pontifex Zosimus interdixisset. Ea de causa cum Proculum Zosimus de propria dignitate dejecisset; jus Metropoliticum restituit Patroclo Arelatensi, qui proinde in Synodo Tuentium de Episcopali gradu deturbavit. Romam profectus ad Pontificem appellavit Tuentius: at Zosimus, causa mature discussa, prioris Judicis sententiam confirmavit, eamque per litteras ad Africæ, Galliæ, Hispaniæque Episcopos datas divulgavit. In his litteris Pontifex, postquam Tuentii, & Ursi (erat hic alter Galliæ Episcopus in Synodo pariter propter crimina condemnatus) malefacta paucis recensuit, sic concludit *Qua de re ad Sanctitatem vestram, & per totum Orbem scripta direximus, ne Tuentium, & Ursum in communione Ecclesiæ in quocumque Ecclesiastico gradu, a qua in totum anathematizati sunt, suscipiendos esse ducatis. Dicuntur enim circulatores esse, quod nos ex sententiis agnovimus, in eorum damnatione Sacerdotali auctoritate prolatis, quas in diversis regionibus exceperunt.*

Antonium Ecclesiæ suæ Hipponensis, atque Episcopalis Monasterii Clericum Fussalensi Populo, qui a Donati Schismate ad veram Ecclesiam conversus recenter fuerat, primum Episcopum præfici, & consecrari curaverat S. Augustinus. At novus hic Episcopus *nondum ætate firmatus*, præter plurium criminum suspicionem, quam in se concitavit, Plebem suam vexare ausus est, concutere, exspoliare. Illum proinde Fussalenses ad Provinciæ Synodum detulerunt, a qua non degradatus quidem fuit propter spem, quæ aderat, emendationis, sed Ecclesiæ administratione privatus. A Synodo Antonius ad Bonifacium I. provocavit, cui cum a Numidiæ Primate Valentino commendatus fuisset, *velut omni modo inculpatus*, ut ait S. Augustinus, a Pontifice litteras impetravit, quibus Ecclesiæ suæ administrationi restitui jubebatur, *si ordinem rerum Apostolicæ Sedi fideliter indicavit*. Verum, mortuo Bonifacio, cum nondum ejusdem sententia fuisset executioni demandata, Fussalenses graviora sibi mala formidantes, apud Cœlestinum Papam Bonifacii Successorem accusarunt Antonium non modo, sed etiam horum malorum fontem Augustinum, qui talem ipsis donasset Episcopum. Quæ res ita senem Augustinum afflixit, ut Episcopatum suum paratus jam esset deponere, & in perpetua vivere pœnitentia. Interim adversus Antonium Augustinus ad Cœlestinum epistolam scripsit, quæ est 262. In ea querelam Antonii diluit, quod videlicet, ser-

 vata

vata dignitate, Ecclesiæ administratio eidem fuisset adempta. Ait enim, alios plures in Africa Episcopos eidem pœnæ fuisse subjectos, qui cum ad Apostolicam Sedem provocassent, hæc Synodorum confirmaverat sententiam: *Extat exemplo, ipsa Sede Apostolica judicante, vel aliorum judicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quæ ut a nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo.* Tria mox affert exempla, videlicet Prisci, Victoris, & Laurentii in Cæsaræensi Provincia Episcoporum. Exponit deinde Pontifici violentiam Antonii, qui restitutoriis Bonifacii Papæ litteris gloriosus, comminabatur se per publicas potestates, & militares impetus Pontificiam executurum esse sententiam. Audiantur Augustini verba: „ Accipe nunc, quæ post ejus sanctæ memoriæ Viri „ (videlicet Bonifacii Papæ) „ litteras in Africa gesta sunt, & subveni hominibus opem tuam in Christi misericordia multo avidius, quam ille, poscentibus, a cujus inquietudine desiderant liberari. Judicia quippe illis, & publicas potestates, & militares impetus tamquam executuros Apostolicæ Sedis sententiam, sive ipse, sive rumores creberrimi comminantur, ut miseri homines Christiani Catholici graviora formident a Catholico Episcopo, quam, cum essent hæretici, a Catholicorum Imperatorum legibus formidabant. Non sinas ista fieri, obsecro te per Christi Sanguinem, per Apostoli Petri memoriam, qui Christianorum Præpositos Populorum monuit, ne violenter dominentur inter Fratres. Ego Fussalenses Catholicos, Filios in Christo meos, & Antonium Episcopum, Filium in Christo meum, benignitati, & charitatati Sanctitatis tuæ, quia utrosque diligo, utrosque commendo. Neque Fussalensibus succenseo, quia justam de me querimoniam ingerunt auribus tuis, quod eis hominem, nondum mihi probatum, nondum saltem ætate firmatum, a quo sic affligerentur, inflixi. Neque huic noceri volo, cui quanto magis sinceram habeo charitatem, tanto magis pravæ ejus cupiditati obsisto. Utrique misericordiam mereantur: illi, ne mala patiantur, iste, ne faciat: Illi, ne oderint Catholicum, si a Catholicis Episcopis, maximeque ab ipsa Sede Apostolica contra Catholicum eis non subveniatur Episcopum; iste autem, ne se tanto scelere obstringat, ut quos molitur invitos facere suos, a Christo faciat alienos „. Ex his omnibus liquido constat, 1. non solos Africanos Episcopos adversus suas Synodos, sed Africanos etiam

Po-

Populos adversus suos Episcopos invocare Romanum Pontificem, ejusque Supremam Potestatem in causis judicialibus implorare consuevisse. 2. Apostolicæ Sedis judicia tanti in Africa ponderis fuisse, ut ad ipsa exequenda publicæ etiam Potestates, ac militares copiæ essent in promptu. 3. S. Augustinum agnovisse tamquam legitimas, ac validas Romanas Africanorum Episcoporum appellationes. At certe nihil horum tribui potest falsis Isidori Decretalibus.

Chelidonius Episcopus accusatus in Synodo, quod, etsi viduam duxisset Conjugem, & Judicis officio functus in aliquos sententiam mortis tulisset, Episcopalem tamen dignitatem contra Sacros Canones acceptasset; ab Hilario Arelatensi, qui Synodo præerat, de Episcopatu dejectus fuit. Apostolicam Sedem appellavit Chelidonius, Romamque profectus, coram S. Leone Magno, qui totam Causam in gradu appellationis retractavit, per testes fide dignos se ab omni criminatione purgavit. Quamobrem Pontifex anno circiter 445., post maturam Causæ discussionem, cui Hilarius quoque, cum Romam venisset, interfuit, Chelidonium a Synodali Hilarii sententia absolvit, suæque restituit Sedi, certioribus de hac re factis per suas litteras Provinciæ Viennensis Episcopis. „ Absolutus est „ ita in dictis litteris Sanctus Leo „ Chelidonius Episcopus, quoniam se injuste Sacerdotio fuisse „ se dejectum manifesta testium responsione, ipso etiam „ videlicet Hilario „ præsente monstraverat, itaut quod Hilarius nobiscum residens „ dens posset opponere, non haberet.... Mansisset namque in illum „ prolata sententia, si objectorum veritas extitisset. Redditus itaque „ est Ecclesiæ suæ, & huic, quam amittere non debuit, dignitati „ Coepiscopus noster Chelidonius, sicut gestorum series, & post decursam „ cursam cognitionem sententia, quæ a nobis prolata est, testatur „. Ægre tulit Hilarius hoc Pontificis Judicium, quamquam, ipso S. Leone teste, pro sua in Chelidonium sententia nihil rationabile potuisset adducere: quare in iram abreptus, ea protulit „ quæ nullus Laicorum „ dicere, nullus Sacerdotum posset audire. Doluimus, Fratres „ inquit in citatis litteris vere Magnus Leo „ & hunc ejus mentis tumorem „ rem medelis patientiæ nostræ curare tentavimus. Nolebamus enim „ ea illi exacerbare vulnera, quæ suæ animæ insolentibus subinde sermonibus „ monibus infligebat, & quem susceperamus, ut Fratrem, delenire „ magis ipsum, quamvis ipse se suis responsionibus innodaret, quam „ contristare nostris interlocutionibus nitebamur „. Verum cum Hilarius

larius Metropoliticam ſuam dignitatem ampliare nimis ſtuderet, Romanique Pontificis poteſtatem deprimens, Romanas Gallicanorum Antiſtitum appellationes improbaret, tum quoad effectum ſuſpenſivum, tum quoad Cauſæ retractationem alibi, quam in Provincia, faciendam; Opportunum reor in medium proferre, quid in citatis litteris ea de re S.Leo ad Provinciæ Viennenſis Epiſcopos ſcripſerit.

Primum itaque eleganti, ſublimique compendio S.Petri Apoſtoli Primatum, qui in ejus quoque Succeſſores traducitur, exponit. Mox ita ſubdit: „ Verum hanc Petræ iſtius Sacratiſſimam firmitatem, Deo „ ædificante conſtructam, nimis impia vult præſumptione violare, „ quiſquis ejus poteſtatem tentat infringere, favendo cupiditatibus „ ſuis, & id, quod accepit a Veteribus, non ſequendo, cum nulli „ ſe ſubditum Legi, nullis Inſtitutionis Dominicæ credat regulis con„ tineri, a veſtro, noſtroque per uſurpationis ambitum more deſci„ ſcens, præſumendo illicita, & quæ cuſtodire debuit, negligendo. „ Verum hæc nos, ſervata circa vos noſtræ charitatis gratia, quam „ Sanctitati Veſtræ Apoſtolica ſemper Sedes impertit, nitimur conſilio „ maturiore corrigere „ (loquitur ſemper de Hilario, ejuſque conatibus amplificandi Metropoliticam ſuam poteſtatem) „ & veſtrarum „ Eccleſiarum ſtatum, communicato vobiſcum labore, componere, „ non nova inſtituentes, ſed vetera renovantes, ut in ſtatus conſue„ tudine, quæ nobis a noſtris Patribus eſt tradita, perduremus, & „ Deo noſtro per boni operis miniſterium, remotis perturbationum „ ſcandalis, placeamus. Nobiſcum itaque Veſtra Fraternitas reco„ gnoſcat, Apoſtolicam Sedem, pro ſui reverentia, a veſtræ etiam „ Provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus eſſe conſultam, & per „ diverſarum, quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat, appella„ tionem Cauſarum aut retractata, aut confirmata fuiſſe judicia, adeo„ ut ſervata unitate ſpiritus in vinculo pacis, commeantibus hinc inde „ litteris, quod ſancte agebatur, perpetuæ proficeret charitati. Quo„ niam ſollicitudo noſtra, non ſua quærens, ſed quæ ſunt Chriſti, di„ gnitatem divinitus datam nec Eccleſiis, nec Eccleſiarum Sacerdo„ tibus abrogabat. Sed hunc tramitem ſemper inter Majores noſtros, „ & bene tentum, & ſalubriter cuſtoditum, Hilarius Eccleſiarum ſta„ tum, & concordiam Sacerdotum novis præſumptionibus turbatu„ rus exceſſit, ita ſuæ vos cupiens ſubdere poteſtati, ut ſe Beato Apo„ ſtolo Petro non patiatur eſſe ſubjectum, Ordinationes ſibi omnium

„ per

„ per Galliam Ecclesiarum vindicans, & debitam Metropolitanis Sa-
„ cerdotibus in suam transferens dignitatem, ipsius quoque Beatissi-
„ mi Petri reverentiam verbis arrogantioribus minuendo, cui licet præ
„ cæteris solvendi, & ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen
„ ovium cura specialius mandata est: cui quisquis Principatum æsti-
„ mat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere digni-
„ tatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ semetipsum in inferna de-
„ mergit „. Numquid hæc S. Leo a Decretalibus Isidori didicit, aut hausit?

Non Chelidonii modo, sed aliorum etiam causas in eadem Romana Synodo anni 445. S.Leo adversus Hilarium in gradu appellationis retractavit, eorumque non leves audivit querelas. Projectus enim, non Arelatensis, sed alienæ Provinciæ Episcopus, cui ægrotanti alterum Episcopum contra Sacros Canones Hilarius superordinaverat, per appellationis litteras de accepta ab eo injuria apud S. Leonem conquestus fuit. Accusatus præterea fuit Hilarius, quod, cum paulo ante in Arelatensi Urbe posita fuisset Gallicani Prætorii, ac Præfecti Sedes, inde Episcopali etiam suæ Sedi autocephaliam accessisse contenderet. Quamobrem prærogativæ hujus, quam sibi fingebat, accessione tumidus, dictitabat non minus suas Episcopales, quam Præfecti ipsius sententias esse inappellabiles, adeoque de S. Leone querebatur, quod Episcopos a sua Synodo degradatos, ac Romam appellantes accedere ad Urbem permitteret, suspensivum appellationi effectum tribueret, Romanum appellantis accessum probaret, & causam non ad priores Judices remitteret, sed in Apostolico suo Tribunali retractaret. Querebatur præterea, quod Leo Galliæ Narbonensis Provinciam in plures divideret, atque ita non modicam Ecclesiæ Arelatensi irrogaret injuriam. Quare Hilarius, ut sibi autocephaliam vindicaret, cedere nolebat Civitatibus, quas non sola Apostolica Sedes, sed & Imperator in singulares erexerat Provincias, ac proinde omnium ejusmodi Civitatum Episcopos, aliis Metropolitanis reclamantibus, ordinabat. Tandem non immerito culpæ tribuebatur Hilario, quod noluerit S. Leonis pro Chelidonio judicium probare, & admittere; quod Chelidonio ut Episcopo communicare contumaciter renuerit; quod denique insalutato Pontifice ex Urbe abierit.

His omnibus mature perpensis, S. Leo Projectum jussit in suo Episcopali gradu, suaque in Ecclesia permanere; superordinatum vero Episcopum prorsus removeri. In Hilarium sententiam tulit, sed multo mi-

mitiorem, quam ejus excessus mererentur. Ipsam enim Arelatensem Provinciam divisit, portionemque non modicam in Metropolim transtulit Viennensem. „ Quali pertinacia Hilarius „ inquit S. Leo in epist. citata ad Provinciæ Viennensis Episcopos „ judicium nostrum ef-
„ fugerit, Sancta Vestra Fraternitas non ignorat. Unde & justum esse
„ videmus, ut quia Principis Apostolorum magnam in judiciis mode-
„ rationem, quam in Potestate per Vicarios suos semper exhibet,
„ Arelatensis Episcopus non expectavit, a privilegio suæ Civitatis sub-
„ motus humili loco discat, quæ in magno, gratis munere nostrorum
„ Prædecessorum concesso, tenere noluit; sitque reintegratum Vien-
„ nensi Archiepiscopo privilegium, & jus antiquum, quod Apostoli-
„ ca benignitas ad Arelatensem ex parte transtulit Civitatem, ut tali
„ severitate Hilarius coercitus discat non temere transgredi terminos
„ antiquos Canonica prolatione fundatos „. Ut autem illæsum servaret jus Romanarum Appellationum, & nemo deinceps auderet aliquid contra moliri, præter ea, quæ in sua epistola statuit, & quæ superius recitavimus, Imperatorem Valentinianum III. eorum omnium, quæ sibi cum Hilario contigerant, certiorem fecit, rogavitque, ut Pontificiæ auctoritati Cæsaream suam adjungens, lata lege caveret, ne quis in posterum sese per fugam a Pontificio Judicio subtraheret, aut eidem audacter refragaretur. Rescriptum, seu Novellam dedere eodem ann. 445. Imperatores Theodosius II., ac Valentinianus III. ad Aetium Patricium, utriusque Militiæ Magistrum, & Arelate Præfectum, quæ extat in Codice Theodosiano tit. 24. de Ord. Episcop. In ea hæc habentur præ reliquis. „ His talibus & contra Imperii Majestatem, & contra re-
„ verentiam Apostolicæ Sedis admissis, per ordinem Religiosi viri
„ Urbis Papæ cognitione discussis, certa in Hilarium ex his, quos ma-
„ le ordinaverat, lata sententia est. Et erat quidem ipsa sententia per
„ Gallias etiam sine Imperiali sanctione valitura: Quid enim tanti Pon-
„ tificis auctoritati in Ecclesias non liceat?... Verum ne levis saltem
„ inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui Religionis discipli-
„ na videatur; hac perenni sanctione decernimus, ne quid tam Epi-
„ scopis Gallicanis, quam aliarum Provinciarum, contra consuetudi-
„ nem veterem liceat sine Viri Venerabilis Papæ Urbis æternæ auctori-
„ tate tentare, sed illis, omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit,
„ vel sanxerit Apostolicæ Sedis auctoritas, itaut quisquis Episcoporum
„ ad judicium Romani Antistitis conventus venire neglexerit per Mo-
„ dera-

„ deratorem ejusdem Provinciæ adesse cogatur, per omnia servatis,
„ quæ Divi Parentes nostri Romanæ Ecclesiæ detulerunt.

Cum Lupicinus in Cæsaræensi Mauritania Episcopus a Mauritaniæ Synodo dejectus de Episcopali gradu fuisset, ad S. Leonem Magnum appellavit. Admisit hic appellationem, eique effectum suspensivum adscripsit, & quamdiu lis coram Apostolica Sede penderet, sacris interdici Lupicinum vetuit, aut ex Episcopali Sede moveri, aut alium ei Episcopum superordinari. Verum cum propter bella neque Lupicino Romam commeare, neque Apostolicis Legatis in Africam transmeare facile liceret, ejus Causam pleno Provinciæ Cæsaræensis Concilio retractandam Pontifex commisit ad normam quinti Canonis Sardicensis, quem cap.20., & 21. exposuimus. Audiatur S. Leo in epist., quam scripsit ad Episcopos Mauritaniæ Cæsaræensis: *Causam quoque Lupicini Episcopi illic jubemus audiri, cui multum, & sæpius postulanti communionem hac ratione reddidimus, quoniam ad nostrum Judicium provocasset, immerito eum, pendente negotio, a communione videbamus esse suspensum. Adjectum etiam illud est, quod huic temere superordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari, antequam Lupicinus in præsenti positus, aut confutatus, aut certe confessus justæ posset subjacere sententiæ, ut vacantem locum, quemadmodum disciplina Ecclesiastica exigit, is, qui consecrabatur, exciperet.*

Contumeliosus Rejensis in secunda Narbonensi Episcopus, adulterii, aliorumque criminum ex propria confessione convictus, in Provinciæ suæ Synodo degradationis, perpetuæque in Monasterium detrusionis pœna damnatus fuit. Non appellavit ille quidem ad Apostolicam Sedem: Sed cum aliquos in Synodo fautores habuisset, qui mitigandam esse pœnam dictitabant, S. Cæsarius Arelatensis, Romani Pontificis per Galliam Vicarius, juxta tertium Sardicensem Canonem omnia retulit Joanni II. Hic Synodale judicium, & Contumeliosi degradationem litteris eodem anno 534. ad Galliarum Episcopos datis probavit, & illum in Monasterio perpetuum claudi, eique Successorem dari jussit. Verum, mortuo Joanne II., cum nescio quam ob causam successorem Contumeliosus non accepisset, clausuræ pertæsus, & se innoxium prædicans, novumque Causæ suæ postulans examen, ad Agapetum Papam Joannis successorem provocavit. Hac appellatione, Romanique Pontificis reverentia commotus Cæsarius, Contumeliosum è Monasterio egredi, & ad Episcopalem honorem, ac munus redire permisit, non ignorans

appellationis virtute suspendi sententiæ prioris executionem. Contumeliosus autem gerere se statim ut Episcopum cœpit, spiritualia, ac temporalia administrare, celebrare Missas, aliaque Episcopalia munera exercere. Interea Cæsarius Romam misit Emeritum Ecclesiæ suæ Defensorem, qui Agapeto hæc omnia nunciaret. Acta displicuerunt Pontifici, & Emeritum, ad cujus officium fere omnia spectabant, reprehendit: Et merito. Nam cum Synodale prius iudicium Joannes II. confirmasset, novæque Episcopalis creationis dedisset mandatum, in rem judicatam sententia transierat, neque locus supererat appellationi, sed gratiosæ dumtaxat revisioni, quam petere supplex debebat Contumeliosus, & interea in humili degradati conditione permanere. Noluit tamen adhuc Pontifex mitius agens, omni prorsus carere fructu hanc qualemcumque provocationem. Quare Contumeliosum tractari voluit non ut degradatum, sed ut suspensum: jussit Ecclesiam sub Visitatore, sub quo erat, permanere: Contumelioso celebrationem Missarum indulsit, redditisque eidem patrimonialibus bonis, Ecclesiasticæ dumtaxat substantiæ administrationem interdixit. Pendente autem appellatione, nihil innovari, aut attentari præcepit. Aliquos demum ex Episcopis, qui priori Synodali judicio interfuerant, Romam evocavit totam rei seriem exposituros, ut ad justitiæ tramites retractare causam posset, ultimamque proferre sententiam. Hæc omnia ex Apostolicis litteris patent, quas ad Cæsarium Arelatensem Agapetus rescripsit.

Multis sese flagitiis inquinaverant, ab Episcopali sanctitate descifcentes, Salonius Ebredunensis, & Sagittarius Vappincensis Fratres, quos a se educatos S. Nicetius Lugdunensis Episcopus ad Cathedras provexerat Episcopales. His de causis Gunthrannus Rex Synodum indici Lugduni jubet, in qua, fratrum causa discussa, damnati, depositique fuerunt ambo. At hi apud Regem de sententiæ injustitia conquerentes, Romanumque appellantes Pontificem, ab eo petierunt, ut Romam sibi pergere liceret. Data per Regem venia, Romam accesserunt, & a Joanne III. libenter excepti, auditique, Pontificias ad Regem litteras obtinuere, quibus restitui suis sedibus jubebantur. *Rex sine mora, castigatis prius illis verbis multis, implevit*, uti ait, qui rem totam narrat, S. Gregorius Turonensis lib. 5. Histor. Francor. cap. 21. Verum cum mox iidem Episcopi deteriores effecti, pristinis criminibus proditionem patriæ, læsæque Majestatis scelus addidissent, coacta jussu ejusdem Regis

gis anno 579. Cabilonensi Synodo, per sententiam degradati; atque in perpetuum detrusi sunt carcerem, aliis in eorum Sedes Episcopis surrogatis, ut idem testatur S.Gregorius lib.cit.cap.28.

S. Leander Hispalensis Episcopus, & Bœticæ Provinciæ Metropolita, propter certa quædam crimina Januarium Malacitanum Episcopum, & quemdam ejus Presbyterum in suo Synodo degradavit. Stephanus etiam quidam, in Gallia Narbonensi Episcopus, uti putat Christianus Lupus, de læsa Majestate accusatus,& a Recharedo Rege Toletum evocatus, Toletanæ Synodi judicium subire coactus fuit; & cum per Synodalem sententiam degradatus fuisset, alius ei statim superordinatus fuit Episcopus. Hi tres ad Apostolicam Sedem provocarunt, quam tunc tenebat S. Gregorius Magnus. Admisit hic appellationem, & in Hispaniam legavit Joannem S. R. E. Presbyterum, & Defensorem, cui hæc in mandatis dedit, uti patet ex epistolis ejusdem S. Gregorii Magni, quæ olim erant 40., & 52. lib. 11., nunc sunt 33., & 45. lib. 13.: „ In primis requirendum est de persona Presbyteri; & si ita se veritas „ habet, sicut Episcopi Januarii petitio continet, in Ecclesia, atque in „ loco suo idem Presbyter modis omnibus revocetur. Si autem dictum „ fuerit, quia contra ipsum causa aliqua mota, sive probata est, sub- „ tiliter ipso præsente, & pro se rationem reddente, quærendum est „ & genus causæ, & modus probationis, ut ex hoc colligere valeas, „ utrum adhuc in exilio demorari, an certe in Ecclesiam suam, & of- „ ficium suum debeat revocari. De Episcopi Persona hoc statuendum „ est, ut si nulla contra eum criminalis causa, quæ exilio, vel deposi- „ tione digna est, mota, sive probata est; is, qui eo superstite Epi- „ scopus perverse, & contra Canones in Ecclesia ejus ordinari præsum- „ psit, Sacerdotio privatus, ab omni Ecclesiastico ministerio repella- „ tur; qui etiam eidem dilectissimo Januario, Fratri, & Co-Episcopo „ nostro, tradendus est, ut ab ipso aut in custodia habeatur, aut certe „ ab eo ad nos per omnia transmittatur. Episcopi vero, qui eum ordi- „ naverunt, vel ejus ordinationi consentientes interfuerunt, sex men- „ sibus Dominici Corporis, & Sanguinis communione privati, agere „ pœnitentiam decernantur in Monasterio; & suprascriptus Januarius „ loco, & ordini suo modis omnibus reformetur &c.„ Similia de Stephano Episcopo, ejusque causa sancit.

Multa appellationum Romanarum exempla tum Episcoporum, tum Clericorum ex Africa ad Apostolicam Sedem sub S. Gregorio Ma-

Magno refert Christianus Lupus videndus in dissertatione de Africanæ Ecclesiæ Romanis appellationibus cap. 34. Multa quoque ejusmodi appellationum exempla ex Illyrico sub eodem Gregorio Magno idem Auctor profert in dissertatione de Gallicanæ Ecclesiæ Romanis Appellationibus cap. 35.; quæ quidem omnia, ne longior sim, prætermitto. Unum dumtaxat hic postremo loco proferam ejusmodi Romanarum ex Anglia Appellationum exemplum, quod refertur a Ven. Beda lib. 5. Hist. Anglor. cap. 20., & seqq.

Cum S. Vvilfridus Eboracensis Episcopus ab Egfrido Northumbriæ Rege anno 678. pulsus a suo Episcopatu fuisset, ad S. Agathonem Papam appellavit, ac Romam accessit. Pontifex, coacta Synodo anno 679., eumdem Ecclesiæ suæ restitui jussit, eumque in finem in Angliam legavit Abbatem S. Martini. At legatio hæc nihil profuit, & quamdiu Egfridus vixit, Agathonis sententia, quamquam illam Benedictus II. confirmasset, suo caruit effectu. Perempto tamen a Pictis Egfrido, Aldfridus ejus successor anno 687. sanctum Episcopum Ecclesiæ suæ restitui permisit. Verum quinquennio post, pulsus iterum ab Episcopatu suo, Apostolicam Sedem iterum provocavit, illumque Summus Pontifex Sergius I. in pristinum restitui gradum jussit. Ut hoc eluderent decretum, Aldfridus Rex, & Britualdus Cantuariensis Antistes, indicta Synodo, propositisque pluribus adversus illum accusationibus, suadere eidem blanditiis, ac minis conati sunt, ut se ab Episcopatu abdicaret, suæque abdicationi, quam scripto jam exaraverant, manu sua subscriberet. Renuit Vvilfridus constantissime, interjectaque ad Romanum Pontificem appellatione, Romam venit anno 703. ad Joannem VI. Hic anno 704., postquam in Romana Synodo Vvilfridus omnes omnino sibi irrogatas diluisset criminationes, latam a Decessoribus suis confirmavit sententiam, datisque ad Ethelredum Merciæ Regem, & ad Aldfridum litteris, Virum Sanctissimum suæ restituit Sedi: Romam vero accedere jussit suam dicturos causam Bozam, qui in Eboracensem Episcopatum, pulso Vvilfrido, fuerat intrusus, & Joannem Episcopum Hagustaldensem, qui Monasterii administrationem a Vvalfrido abduxerat, sibique injuste usurpaverat.

CA-

CAPUT VI.

Solvuntur Argumenta Febronii.

ARgumenta, quibus innixus Febronius Romano Pontifici jus negat recipiendi ex omnibus Mundi partibus appellationes, pleraque, atque ea potiſſimum, quæ certe validiora forent, ſi veritate niterentur, in toto diſſertationis decurſu refellere conati ſumus. Pauca, quæ ſuperſunt, nunc breviter refellamus. Juvat tamen prius per brevem anacephalæoſim ſingula recenſere, ut totam eorum ſeriem, ac ſolutiones iiſdem adhibitas ſub unico, ſimplicique, ut ita dicam, oculi ictu intueamur.

Sic itaque in ſuo libro ratiocinatur Febronius. Non aliunde competere poteſt Romano Pontifici hoc jus recipiendi ex omnibus Mundi partibus appellationes, niſi vel ex natura, & Jure Primatus, quem eidem in Eccleſia Chriſtus contulit, vel ex conceſſione Eccleſiæ, quæ eidem tale jus dederit. Neutrum autem dici poteſt. Non primum, quia *Principatus Summi Pontificis per univerſam Eccleſiam, non tam eſt Juriſdictionis, quam Ordinis, & Conſociationis, eumque præter propter Romanus Pontifex in univerſali Eccleſia habet Principatum, qualem Cyprianus gerebat in Africana, qui æqualitatem, & libertatem Epiſcoporum Africæ non infirmabat*. Paucis: meri ordinis, ac directionis primatu in tota Eccleſia Pontifex gaudet: hic autem Primatus non connectitur cum Jure recipiendi ex omnibus Mundi partibus appellationes: ejuſmodi enim Jus ſupponit in eo, cui competit, Supremam in tota Eccleſia juriſdictionem: ergo Romano Pontifici ex natura, & jure Primatus non competit tale Jus. Non ſecundum, quia ante Sardicenſe Concilium nullæ ad Romanum Pontificem delatæ fuerunt appellationes, nullæque ab eo in gradu Appellationis ſive per ſe, ſive per alios cauſæ fuerunt retractatæ. Sardicenſis autem Synodus novum quidem, inſuetumque Romano Epiſcopo tribuit privilegium: at illud non fuit verarum appellationum jus, ſed quædam tantum decernendæ reviſionis auctoritas: ergo neque ex conceſſione Eccleſiæ Summus Pontifex habet Jus recipiendi ex omnibus Mundi partibus appellationes. Uſus ergo, ſeu potius abuſus tot appellationum, quæ factæ fuerunt, & fiunt ex variis Mundi partibus ad Chriſti Vicarium, ab eoque receptæ fuerunt, & adhuc recipiuntur, non aliunde originem traxit, quam a falſis Iſidori Decretalibus, *quæ proinde primaria ſunt cauſa lapſus diſciplinæ, & alteratæ formæ Eccleſiaſti-*

cæ,

cæ, & per quas Isidorus Mercator plus mali intulit Ecclesiæ, quam Hæresiarchæ simul omnes intulerint. Hæc est Febronii in suo libro adversus Romanas appellationes ratiocinatio, hæc tota argumentorum vis.

Ut hanc Adversarii ratiocinationem refelleremus, ostendimus in prima parte hujus dissertationis, constantissimam, unanimemque fuisse, & esse Catholicorum doctrinam ex Sacris Litteris, Œcumenicis Conciliis, Sanctis Patribus, ac Theologicis rationibus erutam, quod Romanus Pontifex immediate a Christo acceperit Primatum Ordinis, honoris, ac jurisdictionis, adeoque ipse sit ab eodem Christo Supremus in universa Ecclesia Pastor, Legislator, ac Judex constitutus. Inde cum Benedicto XIV. deduximus, originarie ex natura, & Jure Primatus Romano Pontifici competere Jus recipiendi ex omnibus Mundi partibus appellationes, & cum Natali Alexandro, qui certe numquam fuit Pontificiæ auctoritatis assentator, affirmavimus, ejusmodi jus esse appendicem veluti quamdam primatus Jurisdictionis, ac potestatis, quo Sanctum Petrum, ejusque Successores Romanos Pontifices Christus in terris insignivit. In secunda dissertationis parte plura in medium protulimus (aliis pluribus brevitatis gratia prætermissis) tum ex Oriente, tum ex Occidente Romanarum Appellationum exempla, quibus contra Febronium evincitur, etiam ante Sardicense Concilium e variis Mundi partibus delatas ad Romanum Episcopum appellationes fuisse, pluresque ab eo in gradu appellationis sive per se, sive per alios causas fuisse retractatas. Numquam tamen Isidori Decretalibus usi sumus, sed eas dumtaxat, sapientissimorum Virorum exempla secuti, ab acribus, quas in eas Febronius congessit, contumeliis vindicare curavimus. In tertia tandem dissertationis parte ex ipsis Canonum Sardicensium verbis, ac fine per eos intento, nec non ex perpetua tum Orientalis, tum Occidentalis Ecclesiæ observantia, & consuetudine, quæ in Romanarum appellationum causis Sardicensem Synodum usque ad octavi sæculi finem est subsecuta, probavimus, laudatos Canones non de mera revisione, sed de vera appellatione esse intelligendos, adeoque voluisse Sardicenses Patres verarum appellationum jus Romano Pontifici ratione primatus competens explicare, suisque legibus adversus Eusebianos hæreticos communire. Si qua difficultas in decursu incidit, quam obiicere nobis Febronius posset, eam diluere non prætermisimus. Pauca nunc diluenda supersunt, quæ idem Auctor in suo Opere cap. 5. §. 5., & 6. contra Romanas Appellationes opponit.

Sane

Sane Justinianus, inquit Febronius §. 5., *quando Novella* 123. *cap.* 22. *omnes Judiciorum Ecclesiasticorum instantias, scilicet Episcopi cum sua Synodo, Metropolitani, & congregati cum eo Provincialis Concilii, demum Patriarchæ, seu Primatis recenset, & de hoc in fine addit: nulla parte ejus sententiæ contradicere valente; ne verbum de Romani Pontificis judicio memorans, hoc manifeste a serie ordinariarum instantiarum, & appellationis excludit. Idem colligitur ex Concilio Francofordiensi anni* 764. *can.*6. Hactenus Febronius.

Facilis tamen est responsio. Nam quid opus erat Romani Pontificis memorare judicium, cum jam ante centum annos Theodosius II., & Valentinianus III. ea de re Imperialem pro toto Imperio sanctionem, seu novllam edidissent, quæ inserta est Codici Theodosiano, & quam capite præcedenti citavimus? Deinde frustra ex Justiniani Constitutionibus colligere tentat Febronius, quænam fuerit Ecclesiæ disciplina. Nulla enim fuit in Ecclesia earum auctoritas, nisi quatenus cum Sacris Canonibus consentirent, quemadmodum de libello Fidei ejusdem Imperatoris dixit Agapetus Papa ad eumdem Justinianum scribens epist. 1. *Laudamus, amplectimur, non quia Laicis auctoritatem prædicationis admittimus, sed quia studium Fidei vestræ Patrum nostrorum regulis conveniens confirmamus, atque roboramus*. Præterea dici potest cum Natali Alexandro, in citata Justiniani Novella prohiberi ab Imperatore appellationem a Patriarcharum judicio in Causis dumtaxat profanis, in quibus tunc ad Imperatorem, tamquam ad Supremum Judicem, appellationes jure suo devolvebantur. Nam quoad Causas dumtaxat Ecclesiasticas, quæ secundum Canones judicandæ sunt, in Novella 137. cap. 4., & 5., ubi de illis agit, a Patriarcharum sententiis appellare non vetat. Cæterum Justinianus Imperator manifeste in Romano Pontifice de Causis Orientalium Episcoporum, & Patriarcharum dijudicandi auctoritatem agnovit. Cum enim Anthimus Imperatricis patrocinio fretus, contra Sacros Canones Constantinopolitanam Sedem invasisset; Monachi Agapetum Papam, quem prius Romæ imploraverant, iterum Constantinopoli, cum illuc a Theodato Gothorum Rege missus advenisset, supplices rogarunt, ut Canonicam tueretur disciplinam, ultionemque de violatis Canonibus sumeret, eo ferme pacto, quo adversus Nestorium se gesserat Sanctissimus Pontifex Cœlestinus. Precibus annuit Agapetus, eique Pontificiam ea in re potestatem exercenti non modo non obstitit Justinianus, verum etiam pollicitus libenter est, se jussurum, ut

ut ea omnia fideliter executioni demandarentur, quæ Pontifex statuisset: Anthimus vero contestatus palam est, se Romani Pontificis judicio, ac decretis esse pariturum; quæ quidem omnia constant ex Actione 1., & 4. Concilii Constantinopolitani sub Menna Patriarcha celebrati.

Eodem cap. 5. §. 5. num 2. sic ait Febronius: „ Veræ appellationis „ ordinarius effectus est, ut vim sententiæ suspendat: nostra e contra „ species provocationis ad Romanum Pontificem (explicat Febronius „ Sardicenses Canones) „ non omnino suspendit prius judicium: ma- „ net enim depositus Episcopus, etiamsi Papa revisionem decernendam „ putaverit „; Et num. 3. addit. „ Itaque valde improprie appellandi „ voce in hac materia utitur Canon V. Sardicensis latini idiomatis... „ Quamobrem cum Hosius ait can. 7. Si appellaverit, non addit, „ ad Romanum Episcopum, sed potius subauditum vult aliud judi- „ cium; subjicit vero statim, & confugerit ad Romanum Episcopum, „ ut nimirum aliud judicium impetret secundum Synodi decretum. At- „ tamen inde evenit, ut sequens ætas existimaverit, in his Canonibus „ agi de vera appellatione juxta propriam, & legitimam hujus vocis si- „ gnificationem, quod recte observavit de Marca de Concordia Sacer- „ dotii, & Imperii lib. 3. cap. 3. num. 6. addens, Sardicensibus his Ca- „ nonibus deberi primam originem juris Sedis Romanæ quoad judicia „ Canonica Episcoporum; „ Et num. 4. subdit: „ Insinuavimus, huic „ recursui ad Romanum Pontificem non adhærere effectum suspensivum „ sententiæ a Concilio Provinciali adversus Episcopum appellantem la- „ tæ. Palmare hujus rei exemplum habemus in causa Hincmari Episco- „ pi Laudunensis circa annum 865., in qua Episcopi Provinciæ Re- „ mensis Adriano II. Papæ, ad quem Hincmarus appellaverat, scri- „ bunt: Si forte, quod non putamus, visum vobis necessario fuerit, „ ut secundum Sardicenses Canones renovetis Judicium, & detis Judi- „ ces scribendo Episcopis, qui in finitimis, & vicinis Provinciis sunt, „ ut & ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant, „ vel si decreveritis mittere e latere vestro habentes auctoritatem ve- „ stram, qui cum Episcopis judicent, eo in gradu adhuc non restituto, „ sicuti Sacri Sardicenses Canones præcipiunt, non abnuimus „. Hactenus Febronius.

Ad ea, quæ Febronius objicit, dico, per illam ad Romanum Pontificem provocationem, de qua Sardicenses Canones loquuntur, prius

prius judicium omnino ſuſpendi, tum quia iidem Canones non dicunt, Epiſcopum *manere* depoſitum, ſed dicunt *videri* depoſitum; videri autem non idem eſt, ac manere, ſeu eſſe; tum quia durante appellatione non poteſt omnino alter Epiſcopus in eadem Cathedra ordinari. *Alter Epiſcopus*, ſunt verba Canonis quarti Sardicenſis, *in eadem Cathedra poſt appellationem ejus, qui videtur eſſe depoſitus, omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in judicio Romani Pontificis terminata*; Et Canone quinto eamdem habent Sardicenſes Patres locutionem: *Si appellaverit, qui dejectus videtur*. Et optima eſt, ac veriſſima ejuſmodi locutio. Ille enim Epiſcopus, qui a Provinciæ ſuæ Epiſcopis depoſitus fuit, & de gradu ſuo dejectus, propter hanc condemnatoriam ſententiam depoſitus videtur, ac dejectus; at propter ejuſmodi ſententiæ ſuſpenſionem, quam appellatio producit, non manet, neque eſt vere depoſitus, ac dejectus. Hanc eſſe veram Sardicenſium Canonum intelligentiam probat perpetua, ac conſtans obſervantia, & conſuetudo earum appellationum, quas poſt Sardicenſem Synodum ex utraque tum Orientis, tum Occidentis Eccleſia Romani Pontifices admiſerunt. Eæ enim adnexam ſemper habuere prioris judicii ſuſpenſionem, uti ab exemplis patet, quæ ſuperius adduximus. Quare non *valde improprie*, uti contendit Febronius, ſed *bene*, & *proprie* appellandi voce utitur Canon V. Sardicenſis. Quod autem, cum Hoſius ait: *Si appellaverit*, ſubintelligendum ſit *aliud judicium*, non vero *ad Romanum Epiſcopum*, eſt ita falſum, & abſonum, ut interpretationis abſurditas facillime oculis, mentique Lectoris obverſetur: En Canonis verba: *Si appellaverit, qui dejectus videtur, & confugerit ad Beatiſſimum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum*. Quid clarius, ſi præſertim ratio habeatur particulæ copulativæ *&*, necnon advertatur, in toto illo Canone numquam nominari judicium? Sequens ætas Sardicenſes Canones de vera appellatione intellexit, non verborum æquivocatione decepta, uti Febronius affirmat, ſed edocta tum a tercentum Epiſcopis, qui Concilio Sardicenſi interfuerunt, & ſubſcripſerunt, tum a praxi, qua prædicti Canones obſervabantur, tum denique ab obvio, & naturali verborum ſenſu, quæ ſane non ſunt ambigua, & obſcura, ſi quis præſertim attendat circumſtantias, in quibus eos Canones fuiſſe conditos non ignoramus. Ex appellationibus ante Sardicenſem Synodum ad Romanum Pontificem delatis, quarum exempla in ſecunda diſſertationis parte attulimus, detegitur error Petri de

Marca, qui Sardicensibus Canonibus primam deberi originem contendIt juris Sedis Romanæ quoad Canonica Episcoporum judicia.

Exemplum, quod affert Febronius ex epistola Episcoporum Provinciæ Remensis ad Romanum Pontificem in Causa Hincmari Episcopi Laudunensis, nihil probat. Si quid enim probat, illud dumtaxat evincit, prædictos Episcopos ita intellexisse Sardicenses Canones, qui jam a quinque sæculis editi fuerant. At quid inde? Per quinque sæcula aliter eos Canones intellexerunt fere omnes Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ Antistites, uti superius ostendimus ex perpetua utriusque Ecclesiæ observantia, & praxi. Num per quinque sæcula dictorum Canonum vera intelligentia Episcopos aliarum Regionum latuit, & solum post tam diuturnum annorum lapsum viginti Episcopis Romano Pontifici subiratis innotuit? Quis non recentiorum judicium quoad legum intelligentiam Veterum illorum sensui post habebit, qui tempore conditarum legum viventes earumdem observantiam ab ipsis legislatoribus didicerunt? Verum cum nimis huic exemplo inniti videatur Febronius, eodemque §.5. num.2. citet epistolam Hincmari Remensis ad Romanum Pontificem nomine Caroli Calvi conscriptam, altius repetenda res est.

Anno 862. in Synodo Suessionensi, cui præfuit Hincmarus Remensis Episcopus, depositus ab Episcopatu fuit Rhotaldus Suessionensis Antistes, qui ad Nicolaum I. Romanum Pontificem provocavit. Appellationem admisit Nicolaus, coactaque Romana Synodo anno 864., causam Rhotaldi retractavit, eumque Ecclesiæ suæ restituit. Anno tandem 865. Arsenius in Galliam missus cum Pontificii Legati potestate, Rhotaldum in pristina sui Episcopatus possessione reposuit. Interea Hincmarus, qui Svessionensi Concilio præfuerat, sic ad Nicolaum I. super Rhotaldi causa scripsit, uti videre est apud Thomassinum de Vet., & Nov. Eccles. discipl. tom.1. lib.1. cap.5. *Nullam habere possumus verecundiam de restitutione illius* (videlicet Rhotaldi) *si foret facta a vestri Summi Pontificatus pietate, quia omnes Senes cum junioribus scimus, nostras Ecclesias subditas esse Romanæ Ecclesiæ, & nos Episcopos in Primatu B. Petri subjectos esse Romano Pontifici, & ob id, salva fide, quæ in Ecclesia semper viguit, & Domino cooperante florebit, nobis est vestræ Apostolicæ auctoritati obediendum.* Multa mox addit de Romani Pontificis Primatu digna Catholico Episcopo, & ad Rhotaldi restitutionem iterum convertens sermonem, subdit: *Si vestræ pietati placuerit illum restituere; ut primæ Sedis,*

ac

ac Matris, & Magistræ omnium Ecclesiarum Pontificis, cunctorumque Episcoporum Patris, ac Magistri regulare Judicium ferre convenit, æquo animo feram. Et paulo post inquit: *Si Judicium nostrum pro quacumque causa forte rationabiliore, & adhuc nobis incognita, vestræ summæ auctoritati, quam multa nobis occulta non transeunt, placuerit refragari; quia meum est mea vobis obediendo committere, & non vestra judicia discutere, sustinebo, & non recalcitrabo*. Tandem post alia plura concludit: *Vos videbitis, quid inde facto melius erit; & nobis in judicio vestro videndum est, quid Deus vult, quoniam injusta esse non poterunt divina judicia, quæ a soliditate confessionis Apostolicæ Petræ, adversus quam Inferi portæ, idest suggestiones, vel operationes pravæ non prævalebunt, dictante justitia proferentur*. Ita loquebatur acerrimus Gallicanæ libertatis, & Episcopalis dignitatis vindex, qualem Hincmarum deprædicat Thomassinus.

Anno 869. jussu Caroli Calvi Synodus Verberiensis coacta fuit die 24. Aprilis adversus Hincmarum Laudunensem, quem Laudunensis Clerus, & Populus multis nominibus accusabat. Stetit in Synodo Hincmarus: at cum jam se opprimi videret, ad Apostolicam Sedem appellavit, veniamque sibi fieri petiit, ut Romam proficisceretur. Veniam negarunt Patres: at in causa ulterius non processerunt. Romanam tunc Ecclesiam, mortuo Nicolao, Adrianus II. moderabatur. Anno 870. Attiniaci alia Synodus habita est, jubente Carolo Calvo, ut in ea triginta, qui aderant, Episcopi causam Carolomanni discuterent, ac judicarent. In hac Synodo Hincmarus Laudunensis libello cuidam subscripsit, quo se in posterum Regi Carolo Calvo, & Hincmaro Remensi Patruo suo, ac Metropolitano obediturum pollicebatur. De ejusmodi enim obedientia, quam ille præstare nollet, aliqua fuerat contentio, seu suspicio. Anno insequente 871., jubente eodem Carolo Rege, contra Laudunensem Hincmarum Synodus Duziacensis celebrata fuit, cui Rex, & viginti Episcopi interfuerunt, præfuit vero Hincmarus Remensis. In ea Laudunensem Antistitem Rex inobedientiæ, ac rebellionis accusavit. Hincmarus vero Remensis gravibus aliis criminationibus impetiit. At ille nihil aliud umquam reposuit, nisi se Romanam Sedem provocasse. Tunc eum Synodi Patres tamquam contumacem deposuerunt, & Synodicam una cum Hincmaro Remensi ad Adrianum II. scripserunt, in qua ea habentur, quæ Febronius superius retulit. Hincmarus præterea ad Laudunensem Antistitem Nepotem suum, quocum non modica ei erat simultas, eadem fere scripsit dicens: *Diversi Canones Episcopum a*

congregatis Regionis Episcopis de gradu suo dejectum, a finitimis Episcopis cum ejusdem Provinciæ Episcopis, Apostolicæ Sedis auctoritate, vel cum a latere suo directo, in Provincia, in qua ventilata, & judicata est, jubent audiri. Synodicam epistolam Romam tulit S. Arctardus Episcopus Nannetensis. Verum Adrianus Pontifex, cui notissimæ erant Hincmari artes, non eo modo, quo Hincmarus, Sardicenses Canones intelligens, voluit Laudunensem Antistitem, ejusque adversarios ad se transmitti, totamque Causam coram se retractari. Hac Pontificis responsione commoti Duziacensis Synodi Patres, aliam ad Adrianum epistolam conscripsere, eadem postulantes, quæ in Synodica petierant, & ad suæ petitionis æquitatem ostendendam recitarunt Sardicenses Canones, decreta Pontificum Innocentii, Bonifacii, ac Leonis, aliaque plura, quibus pertinaciter censebant opinionem suam demonstrari. Ut tamen bonis verbis Pontificem circumscriberent, addiderunt: *Apud Dominum Regem obtinuimus, ut quicumque vellent de Clero, & familia Laudunensis Ecclesiæ Romam cum Hincmaro Episcopo ire, haberent licentiam. Pergat igitur secundum mandatum vestrum, non abnuimus, non contendimus, non resultamus, & sententia Sedis Apostolicæ secundum Sacros Canones, & decreta ipsius Sedis Pontificum, de illo exequatur; & ea, ut Leo decernit, quæ juxta Ecclesiasticum morem juste, & rationabiliter a nobis sunt definita, vestra quoque sententia roborentur.* Quamquam autem in sua sententia perstitisset Adrianus, vis tamen, & Regis auctoritas prævaluit. Pulsus in exilium, visuque orbatus fuit Hincmarus Laudunensis, eique in Episcopatu surrogatus Hedenulphus.

Hac præmissa rerum gestarum serie, nunc secum ipse Remensis Hincmarus comparetur. Duplici is præest Synodo, Svessionensi, & Duziacensi. In utraque Episcopus accusatur ut reus, dijudicatur, condemnatur, deponitur. Romam uterque Episcopus provocat, utriusque appellatio a Pontifice admittitur, utriusque Causa Romam evocatur in Romana Synodo retractanda. Prior causa retractatur omnino Romæ a Nicolao I. Pontifice, a quo Svessionensis Synodi sententia rescinditur, suæque Sedi Pontificio decreto Rothaldus Episcopus restituitur. Huic autem Causæ in Romana Synodo retractationi, huic damnati Episcopi in suam Sedem restitutioni Hincmarus Remensis non repugnat, non opponit Sardicenses Canones, non reclamat Metropoliticæ suæ dignitatis, Synodique Provincialis jura violari; sed, uti vidimus, ad Romanum Pontificem scribens, ejus Judicio se submittit, se subjectum fate-

fatetur Romano Pontifici, sibique Apostolicæ auctoritati esse obediendum affirmat, & concludit: *quia meum est mea vobis obediendo committere, & non vestra Judicia discutere, sustinebo, & non recalcitrabo*. Contra vero dum Adrianus II. causam Hincmari Laudunensis in Romana Synodo retractaturus, Romam accedere jubet eumdem Laudunensem Antistitem una cum aliquibus Episcopis, qui Duziacensi Synodo Judices affuerant; Hincmarus Remensis repugnat, contradicit, Sardicenses Canones opponit, totasque vires exerit, ut ejusmodi Causa in Romana Synodo non retractetur; ne videlicet, uti dictitabat, Sardicenses Canones, decreta Pontificum, & Metropoliticæ suæ dignitatis, Synodique Provincialis jura violarentur. At, quæso, unde tanta doctrinæ oppositio, & contrarietas in eodem cæteroqui doctissimo Antistite? Ego quidem, quantum ex præmissa rerum gestarum narratione conjicere non imprudenter possum, non aliam tantæ contrarietatis causam fuisse reor, nisi hanc: in priori videlicet causa Rothaldus Svessionensis neque Regi, neque Hincmaro Rhemensi erat invisus: quare Remensis Antistes nulla animi perturbatione obcæcatus, serena mente, quid æquum, rectumque esset, vidit, suaque bene usus scientia, & Sacrorum Canonum peritia, qua reliquos ævi sui Antistites plurimum antecellebat, in suo obvio, naturali, veroque sensu Sardicensia decreta interpretatus est, debitamque Pontifici præstitit obedientiam: At in posteriori causa, cum idem Remensis Antistes ex una parte vehementer esset iratus Nepoti suo Laudunensi Episcopo, cujus causa agebatur, uti ex ejus litteris patet ad illum scriptis; ex alia vero parte addictissimus esset Carolo Calvo Regi, cui idem Laudunensis Hincmarus erat quammaxime exosus; tum ad vindictam de injuriis sumendam, quas sibi a Nepote suo irrogatas fuisse arbitrabatur, tum ad majorem sibi regis gratiam conciliandam, cui placere in omnibus studebat, veritus, ne si ejus causa Romæ retractaretur, rescissa Synodi sententia (uti Rothaldo Svessionensi contigerat) ille suæ restitueretur Ecclesiæ, totis viribus Romanum judicium impedire conatus est. Inde factum reor, ut tot litteras ad Romanum Pontificem nomine tum Synodi, tum Regis scripserit; ut Sardicenses Canones in alienum sensum detorserit; ut ex Ecclesiæ Africanæ statutis, summorumque Pontificum decretis argumenta aucupari studuerit, quibus victus, aut saltem fatigatus Pontifex indulgeret, ut Laudunensis Episcopi Causa in Gallia retractaretur. Non levis ad id credendum ratio ex eo desumitur,

mitur, quod mortuo Adriano II., suffectoque in ejus locum Joanne VIII., Hincmarus Remensis nomine Caroli Regis ad eumdem litteras conscripsit iis non absimiles, quas Synodi nomine ad Adrianum miserat, cumque adhuc timeretur, ne Pontifex omnino causam Romæ retractari vellet, visu orbatus est Laudunensis Antistes. Hic autem superstes adhuc, cum Romanus Pontifex Joannes in Gallias profectus Tricassinensem Synodum celebraret, se Ecclesiæ suæ restitui postulavit. Verum cum oculis carens minime idoneus Ecclesiæ administrandæ censeretur, illud solum impetravit, ut Missam cum cantu celebrare posset, certosque ex Laudunensi Ecclesia proventus perciperet, quibus vitam suam honeste sustentaret. Quæ cum ita sint, unusquisque facile intelligit, veram esse, amplectendamque doctrinam, quam Hincmarus Remensis in Causa Rothaldi docuit, & secutus est; suspectam vero, ac rejiciendam, quam ipse idem in Causa Laudunensis Antistitis tam pertinaciter insinuavit.

Aliud contra Romanas Appellationes argumentum Febronius desumit ex Epistola Synodica Afrorum, qui e Carthaginensi Synodo anno circiter 425. celebrata ad Cœlestinum Papam scripserunt rogantes, non solum ut Presbyterorum, aliorumque Clericorum improba refugia, seu Appellationes, quæ tunc erant frequentes, repelleret, sed etiam ne de latere suo mitteret, qui appellantium Episcoporum causas recognoscerent. Cum hac epistola conjungendam esse aliam inquit, quam iidem Patres ea de re ad Bonifacium I. scripserant die 31. Maii anno 419. Utriusque autem Epistolæ aliquod in rem suam recitat fragmentum.

Huic argumento respondeo, viguisse semper in Africa, exceptasque reverenter fuisse Romanas Episcoporum appellationes, ac neminem de hac re umquam dubitasse, antequam Schismaticus Photius diro excitato Schismate Ecclesiæ Græcæ sinum dilaceraret. Is omnium primus particulare Africanæ Ecclesiæ statutum, vetustamque consuetudinem, qua Transmarinæ Afrorum Clericorum appellationes interdicebantur, Episcopos quoque complecti dixit, eorumque etiam Transmarinas, seu Romanas Appellationes fuisse ab Afris rejectas commentus est. A Photio edoctus, consecratusque Episcopus Chalcedonensis Zacharias commentum hoc in sexta octavæ Œcumenicæ Synodi actione venditare ausus est, quem tamen sapienter refutavit in eadem Synodo Orthodoxus, qui aderat, Smyrnensis Metropolita Metrophanes.

Hos

Hos secuti sunt Theodorus Balsamon, Joannes Zonara, & in Florentina Synodo Œcumenica Marcus Archiepiscopus Ephesiorum, Photiani Schismatis fautores, & asseclæ. Eorum vestigia calcarunt Joannes Calvinus, Marcus Antonius de Dominis, Paschasius Quesnellus, aliique Pontificiæ potestatis, ac Jurisdictionis osores. Cæterum Africanam Ecclesiam numquam appellationes Episcoporum reprobasse patet ex iis, quæ ex Sancto Cypriano, & ex S. Augustino attulimus in hac dissert. par.2. cap.9., 10., & 11. Juvat hic pauca adjungere ex S.Cypriano, ut ex iis constet, quid de Romani Pontificis auctoritate, & jurisdictione in alios Episcopos idem S. Doctor senserit. Martianus Arelatensis Episcopus in hæresim Novatianam lapsus cum Novatiano docebat contra Romanæ Ecclesiæ, aliarumque Ecclesiarum indulgentiam, prævaricatorem esse Evangelici dogmatis, quicumque mœchos, & lapsos per Ecclesiæ claves repararet, adeoque errasse ajebat Sanctos Pontifices Cornelium, & Lucium, ipsamque Romanam Ecclesiam, aliasque eidem adhærentes Ecclesias in suo pro lapsis decreto. Ipse vero Novatiano etiam mortuo adhærens Galliam omnem commovebat, & lapsis plurimis ex hac vita decedentibus Sacramentalis reconciliationis pacem, ac Viaticum denegabat. Detulerant hæc omnia Romano Pontifici Sancto Stephano Faustinus Lugdunensis Metropolita, & Comprovinciales ipsius Martiani Episcopi, ut huic malo Suprema sua auctoritate, ac jurisdictione mederetur. Verum cum illum cunctantem adhuc, ac tardius, quam par esse putabant, agentem viderent, ad S. Cyprianum dederunt litteras, ut ipse consilio, ac precibus Pontificem ad Canonicam ultionem a Martiano repetendam urgeret. Eorum preces audiit Cyprianus, & epistolam scripsit ad S. Stephanum, in qua præ cæteris hæc habentur: *Faustinus Collega noster Lugduni consistens semel, atque iterum mihi scripsit, significans ea, quæ jam scio vobis utique nuntiata tam ab eo, quam a cæteris Coepiscopis nostris in eadem Provincia constitutis, quod Martianus Arelate consistens Novatiano sese conjunxerit, & a Catholicæ Ecclesiæ unitate, atque a corporis nostri, & Sacerdotii consensione discesserit tenens hæreticæ præsumptionis durissimam pravitatem*. Exponit mox crudele Novatiani dogma, & sic concludit: *Quapropter facere te oportet plenissimas litteras ad Coepiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Martianum pervicacem, & superbum, & divinæ pietatis, ac fraternæ pacis inimicum, Collegio nostro insultare patiantur, quod nec dum videatur a nobis abstentus* (apud Cyprianum vox *abstentus* significat depositionem, uti solide, erudite-

diteque probat Christianus Lupus in differt. de Gallicanæ Ecclesiæ Romanis Appellationibus cap. 5.) *qui jampridem jactat, & prædicat, quod Novatiano studens, & ejus pervicaciam sequens, a communione se nostra segregaverit, cum Novatianus ipse, quem sequitur, olim abstentus, & hostis Ecclesiæ judicatus sit*. Et paulo post subdit: *Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelate consistentem a te litteræ, quibus abstento Martiano alius in locum ejus substituatur*. Et tandem concludit: *Significa plane nobis, quis in locum Martiani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus, ad quem Fratres nostros dirigere, & cui scribere debeamus*. En potestas, & jurisdictio, quam in reliquos Episcopos Romano Pontifici inesse aperte docet Cyprianus.

Venio nunc ad Afrorum epistolas, quas citat, & laudat Febronius. Epistola scripta ab Afris in Synodo congregatis die 31. Maii anno 419. ad Bonifacium non facit ad rem: Loquitur enim non de Episcopis, sed de Presbyteris, aliisque Clericis inferioribus ad Apostolicam Sedem Appellantibus, quibus ex particulari statuto, vetustaque consuetudine Transmarinas ejusmodi appellationes esse interdictas Afri contendebant. Et sane ejusmodi epistola scripta fuit ad Bonifacium I. occasione controversiæ exortæ sub Zosimo Bonifacii Prædecessore super appellatione Appiarii Siccensis Presbyteri, de qua locuti sumus part. 2. hujus dissertationis cap. 1. Contendebat Pontificius Legatus etiam Clero inferiori ex Nicænis Canonibus Romanas Appellationes licere: Nicænorum autem Canonum nomine Sardicenses intelligebat juxta Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, uti superius diximus. At cum Afri Sardicenses Canones ignorarent; inter Nicænos autem, quorum Codex apud ipsos erat, nullus inveniretur Canon, qui Clero inferiori Transmarinas appellationes concederet; ad exortam dirimendam controversiam Legatos miserunt ad Cyrillum Alexandrinum, & Atticum Constantinopolitanum, ut exemplaria ab iis obtinerent Nicænorum Canonum, quos in illarum Ecclesiarum scriniis fama erat integros, incorruptosque servari. Interea fere omnia, quæ per Legatos Pontifex præceperat, Afri executi sunt, & exequenda esse in posterum statuerunt, donec Nicænorum Canonum exemplaria per Legatos, quos Alexandriam, & Constantinopolim miserant, afferrentur. Hæc habemus ex Afrorum Episcoporum litteris ad S. Bonifacium I., ubi sic ajunt: „ Quoniam „ Domino placuit, ut de his, quæ nobiscum egerunt sancti Fratres no- „ stri, Coepiscopus Faustinus, Compresbyteri Philippus, & Asellus „

(Hi

(Hi erant Pontificii Legati Carthaginem missi) „ non beatæ memoriæ
„ Episcopo Zosimo, a quo ad nos mandata, & litteras attulerunt, sed
„ tuæ venerationi, qui in ejus locum es divinitus constitutus, humilitas
„ nostra rescriberet; ea breviter insinuare debemus, quæ utrorumque
„ concordia terminata sunt &c. Apiarius Presbyter de omnibus erratis
„ suis veniam petens, communioni est restitutus. Prior autem Coepi-
„ scopus noster Siccensis Urbanus, quod in eo corrigendum visum est,
„ sine ulla dubitatione correxit. Quia vero paci, & quieti Ecclesiæ
„ tantum ad præsens, sed etiam in posterum prospiciendum fuit, quo-
„ niam talia multa præcesserant, ut vel similia, vel etiam graviora
„ deinceps præcaveri oporteret; placuit nobis, ut de Siccensi Ecclesia,
„ licet retento honore gradus sui, Presbyter removeretur Apiarius,
„ & accepto Epistolio, ubicumque alibi posset, & vellet, Presbyteri
„ munere fungeretur; quod eidem ipsi per proprias litteras postulanti
„ sine difficultate concessimus &c. „ Multa deinde addunt super mandatis, quæ in Commonitorio suis ad Afros Legatis S. Zosimus dederat; ac tandem subdunt: *Hæc utique usque ad eventum verissimorum exemplariorum Niceni Concilii inserta gestis sunt*. Rectissime itaque in octava Œcumenica Synodo adversus Zachariæ Chalcedonensis Antistitis intercessionem Apiarii Siccensis exemplum proferens inquit Metrophanes Orthodoxus Metropolita Smyrnensis: *eadem ratione Apiarium Siccensis Ecclesiæ, quæ in Africana Provincia est, Presbyterum, loci illius Episcopus quamdam ob causam a cœtu fidelium exclusit. Eumdem postea Synodus ibi coacta penitus deposuit, quem Zosimus Papa Romanus ad se confugientem, suamque causam illi probantem absolvit, & cum litteris remissum ad Synodum, recipiendum curavit. Rationem vero reddens per Apologeticum scriptum Synodus Africana de Apiarii depositi, & rursus justificati causa apud Bonifacium Papam Romanum Zosimi Successorem, inquit: Apiarium etiam hodie absolutum indicamus: Censuimus tamen ei propter scandala consecuta, in Ecclesia Siccensi Presbyteri locum non esse obeundum; at in aliis Ecclesiis rem ei divinam facere licere. Synodum ergo Africanam Zosimi judicio potius obtemperasse, compertum est*.

Quoad aliam Synodalem Epistolam ab Africanis Patribus scriptam ad Cœlestinum Papam anno circitrr 245., duplex est responsio. Prior est illa, quam dat Marcus Antonius Capellus in suo erudito opusculo *de Romanis Afrorum Appellationibus*. Evincere conatur hic Auctor non levibus argumentis, spuriam esse, & commentitiam ejusmodi epistolam,

lam, in qua non exiguos recenset errores, quibus sibi ipse epistolæ scriptor contradicit. Hujus Auctoris argumenta in compendium redacta referuntur a Christiano Lupo in dissert. de Africanæ Ecclesiæ Romanis Appellationibus cap. 30. Verum cum has litteras tamquam legitimas laudent Dionysius Exiguus, antiquus Africanæ Ecclesiæ Codex, vetusta alia Africanorum Canonum collectio, Hincmarus Remensis, aliique Canonum Collectores, ab hac responsione abstineo, & aliam trado. Epistola hæc, de qua loquimur, edita est ab Aurelio Carthaginensi Antistite, qui, cum inter Nicænos Canones, quos Legati Alexandria, & Constantinopoli reduces in Africam tulerant, illos non reperisset, quos in Commonitorio suo Zosimus adduxerat, Romano Pontifici vehementer succensuit, ratus illum evertere voluisse Africanæ Ecclesiæ jura, ut Romani Episcopatus potestatem, ac jurisdictionem augeret. Quare, paucis, iisque Junioribus coactis Episcopis, Synodalem hanc epistolam, de qua loquimur, ad Cœlestinum scripsit, & contra perpetuam, constantemque Africanæ Ecclesiæ doctrinam, & consuetudinem Romanas omnes tum Clericorum, tum Episcoporum appellationes ex Africa studuit amoliri. Certum est huic epistolæ neque Augustinum, neque Alipium, neque Possidium, neque Valentinum Numidiæ Primatem, aliosve seniores Episcopos adhæsisse, cum nullus ipsorum in epistolæ inscriptione nominetur. Sic enim habet inscriptio: *Cœlestino Aurelius, Palatinus, Antonius, Tutus &c.* At si quis eorum adhæsisset, immediate post Aurelium nominari debuisset. Verum quidem est ejusmodi epistolam insertam reperiri Africano Codici: at hic non est Synodale opus; sed quemadmodum Dionysius Exiguus, Theodoretus, Joannes Scholasticus, Ferrandus Diaconus, Cresconius Episcopus, aliique plures privato studio suos Canonum Codices compilarunt; ita etiam ab aliqua privata persona Africanus hic Codex prodiit. Quis nam vero sit illius Auctor, ignoratur. Videtur certe fuisse Aurelii assecla, & Romanarum Appellationum hostis. Nam Synodalia acta de iis, quæ circa appellationes sub Zosimo Papa contigerant, & quæ suo loco, & ordine erant collocanda, in Codicis Capite posuit: hanc vero ad Cœlestinum epistolam in Codicis fine collocavit. Quisnam hujus Collectoris scopus fuerit, idem de se ad sexagesimum Canonem his verbis exponit: *Hujus Concilii gesta ideo non ex integro descripsi, quoniam magis ea, quæ in tempore necessaria fuerunt, quam generalia constituta sunt, sed ad instructionem studiosorum ejusdem Concilii brevem digessi.* Ad solam igitur studentium utili-

utilitatem se hunc Codicem compilasse, Auctor diserte profitetur. At possetne quis de aliqua hujus ad Cœlestinum epistolæ interpolatione non imprudenter subdubitare? Quidquid tamen de hoc sit, certum illud est, nullum umquam apud Afros usque ad hanc Aurelii epistolam fuisse dubium de Romanis Episcoporum appellationibus. Certum pariter est sæculo Christi sexto, postquam ab Imperatore Justiniano ejecti ex Africa fuissent Vandali, & ad pristinam libertatem Africana Ecclesia rediisset, liberas omnino fuisse Afris Episcopis Romanas appellationes, itaut Fulgentius Ferrandus Archidiaconus Carthaginensis Ecclesiæ Breviarium Canonum ad usum, instructionemque Afrorum in lucem edens, cap. 59. & 60. sic habeat: *Ut adjudicatus Episcopus ad Apostolicam Sedem, si voluerit, appellet: ut si appellaverit, alius in Cathedra ipsius non ordinetur.* Aperte etiam idem Auctor adjungit, hos esse Sardicenses Canones, quibus alios deinde pariter Sardicenses adnectit, eorumque unus est ille ipse, quem suorum Legatorum Commonitorio Zosimus Papa inseruerat. Unde constat, Romanas Episcoporum Appellationes, & Sardicenses de ipsis Canones notissimos eo tempore fuisse in Africa, usuque confirmatos. Christianus Lupus in citata dissert. de Africanæ Ecclesiæ Romanis appellationibus cap. 34. plura in medium profert exempla, quibus ostendit, cum Romanam Ecclesiam S. Gregorius Magnus administraret, non solum Afrorum Episcopos, sed inferiorem etiam Clerum libere Romam appellasse.

Recurrit tandem Febronius ad querelas, quas ubique fieri affirmat, *propter horrendas*, ut ait, *inconvenientias*, *quas post se trahunt promiscuæ istæ ad Romanam Curiam appellationes*. Ad id probandum citat S.Bernardum scribentem ad Eugenium Papam lib. 3. de Consid. cap. 2., & Conradum Urspergensem S. Bernardo fere coævum in Chron. pagina 307. Conqueritur mox de hujusmodi appellationum abusu, ac de Episcopalis auctoritatis depressione, quæ ex iisdem exoritur; & in hunc finem citat fragmentum epistolæ 82., quam Hildebertus Archiepiscopus Turonensis scripsit ad Honorium II. Papam. Ut autem responsionem præoccupet, quam sibi dandam esse intelligit; subdit: „ Nemo
„ sibi persuadeat, has querelas peræque justas, atque amaras modum
„ tantum appellationum tangere, non autem earum substantiam: ab
„ eo autem tempore illis modorum vitiis finem positum esse tum per
„ varias Concilii Tridentini sanctiones, tum per plures subsecutas Ro-
„ manorum Pontificum Constitutiones &c. Verum omnibus his, &

 „ sin-

„ singulis Ordinationibus aliud non cavetur, quam ut frivolis appellationibus a gravaminibus extrajudicialibus per Episcopos pastorali „ suo munere fungentes prætense illatis occurratur. Ut primum autem „ negotium ejus naturæ est, ut judicialiter tractandum, aut saltem ita „ tractatum coram Ordinario fuerit; iuxta Jurisprudentiam Romanam „ ex omnibus Mundi partibus in quibuscumque Causis, & ab omnibus „ Personis in via appellationis Romam ambulandum est, omnesque „ eæ inconvenientiæ tam publicæ, quam privatæ, tamquam naturales „ comites hujus provocationis, exhauriendæ sunt, quarum partem re- „ censent Bernardus, Hildebertus, Urspergensis, Fleurius, & alii, aut „ Causa, sæpe cum publico dispendio, in medio relinquenda „.

Singulis, quæ Febronius obiicit, pauca reponamus. Quamquam veræ essent, quæ adversus Romanas Appellationes proponuntur, querelæ; eæ non super appellationes, sed super earum abusum cadunt, & quæ sequuntur horrendæ inconvenientiæ, non appellationibus, sed earum abusui sunt tribuendæ. Numquid proinde omnes tollendæ de medio sunt appellationes? Stultissimus omnium mortalium foret, qui id affirmaret. Quid enim est tam salutare, tam sanctum, tam divinum, quo non persæpe hominum abutatur malitia? Væ Supremis Principibus, si propter appellationum abusum eæ essent omnino removendæ! Nonne enim earum etiam appellationum, quæ ad ipsos fiunt, non infrequens est abusus, ipsis etiam nolentibus, imo nescientibus, vel propter Jurisconsultorum tricas, & Sophismata, vel propter litigantium opulentiam, & auctoritatem, vel propter Judicum appellationis segnitiem, aut etiam infidelitatem? Nonne in ipsis judiciis, quæ in prima instantia fiunt, ad plures persæpe annos motæ super Civilibus negotiis controversiæ protrahuntur? quamquam Justinianus Imperator ad lites celerius expediendas hanc Constitutionem ediderit, quam habemus in L. properandum ff. de Judiciis: *Properandum nobis visum est, ne lites fiant pene perennes, & vitæ hominum modum excedant, cum criminales quidem casus jam nostra Lex biennio concluserit; Et cum penuniariæ causæ frequentiores sint, & sæpe ipsæ materiam criminibus creare noscantur; præsentem legem super his per orbem terrarum nullis locorum, aut temporum angustiis coarctandam ponere censemus. Itaque decernimus omnes lites.... non ultra triennii metas post litis contestationem esse protrahendas.* Pessime sane consultum esset summorum Principum Majestati, ac jurisdictioni, & Populorum quieti, ac felicitati, si ad tollendas querelas, & horrendas inconvenientias,

tias, quæ propter Judicum, aut litigantium, aliorumve malitiam ex judiciis sive primæ Instantiæ, sive appellationis persæpe oriuntur, utrumque judiciorum sive primæ instantiæ, sive appellationis genus esset eliminandum. Quemadmodum ergo, quamdiu quis Supremus est Princeps, eidem auferri nulla ratione potest jus recipiendi subditorum suorum appellationes, quod cum Suprema ejus potestate, ac jurisdictione necessario connectitur; & si qua ex frequentibus appellationibus ex hominum malitia oriantur absurda, ea nobilissimo recipiendi appellationes juri tribui omnino non possunt; Ita Romano Pontifici, qui, uti superius vidimus, summus est omnium Fidelium Rector, & Pastor, & Primatum in tota Ecclesia obtinet potestatis, ac jurisdictionis, auferre nemo potest jus recipiendi ex omnibus Mundi partibus appellationes, quod ejus Primatui necessario adhæret; & siquæ ex frequentibus ad eum appellationibus propter hominum nequitiam sequantur inconvenientiæ; eæ tribuendæ non sunt eximiæ prærogativæ, qua pollet, recipiendi ex omnibus Mundi partibus appellationes. Quamobrem sicuti supremus Laicus Princeps semper jus recipiendi appellationes retinet, & exercet; iisque dumtaxat malis, quæ ex appellationum abusu fortasse promanant, consulere ex officio tenetur; ita Romanus Pontifex jus recipiendi Fidelium appellationes retinens, atque exercens, abusus, qui forte ex iis suboriantur, evellere pro viribus debet, ne Supremi Rectoris, ac Pastoris desit officio. Audiatur Heineccius in Elementis Juris Naturæ, & Gentium lib. 2. cap. 8. §. 167., ubi de appellationibus ad Supremos Sæculares Principes loquens, sic inquit: „ Attamen cum & provocationum abusus haud exiguus sit; non mirum videri potest, varia inventa esse remedia, quibus nimia provocandi temeritas coerceretur: qualia sunt privilegia de non appellando quibusdam Magistratibus concessa; certa summa, quam appellabilem vocant, lege definita; jusjurandum calumniæ; pecunia quædam a provocante in casum, si succubuerit, deponenda; & similia „.

Non diffitemur, fuisse olim abusus in nimia appellationum ad Romanum Pontificem frequentia, & inde ortum habuisse propter hominum malitiam ea scandala, & mala, quæ eam unam ob causam S. Bernardus Eugenio III. in libris de consideratione recensuit, ut iis Pontifex pro sui Pastoralis muneris officio opportunam adhiberet medelam. At nonne Romani Pontifices hos abusus evellere, subortisque malis consulere studuerunt? Innocentius III. in cap. *finem*, de dolo, & con-

contumacia, inquit: *Finem Litibus cupientes imponi, ne partes ultra modum graventur laboribus, & expensis &c.*, & certam ibi regulam ad judicia celerius expedienda præscribit. Clemens V. in Clement. *Dispendiosam*, de Judiciis ait: *Dispendiosam prorogationem litium instringere in subscriptis Casibus cupientes, statuimus, ut in causis super Electionibus &c. procedi valeat de cætero simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura Judicii*. Quoad appellationem vero, licet ea sit quædam species defensionis nemini facile deneganda; ex Jure tamen Pontificio eadem denegatur, 1. in causis non magni momenti. 2. in causis notoriis 3. in causis, quæ dilationem non patiuntur, saltem quoad effectum suspensivum, uti sunt Causæ alimentorum, stipendiorum, salariorum &c. 4. in causa possessionis momentaneæ. 5. in causa per juramentum voluntarium decisa. 6. in causa appellationis desertæ. 7. in causa Censurarum, quæ latæ sint, quoad effectum suspensivum. 8. in causis electionis, & confirmationis, si de impedienda executione agatur, appellatio rejicitur, nisi ex causa valde gravi procedat. 9. in causa correctionis, quando Prælatus Ecclesiasticus, vel Regularis procedit ut Pater, & non ita graves infligit pœnas, ut ad eas infligendas officium Judicis requiratur. Hæc, aliaque plura in jure Canonico a Summis Pontificibus constituta fuisse, ac in praxi servari scimus. Non parum etiam appellationes restrinxit Tridentina Synodus sess. 13. cap.1., & sess. 24. cap.20. de reformat. Cum enim secundum Jus Canonicum ex tit. de Appellationibus, a quacumque etiam interlocutoria appellare liceret; ne lites nimium protraherentur, præscripsit Tridentina Synodus, ut ab interlocutoria appellare non liceat, nisi ea vim habeat definitivæ, aut irreparabile damnum sit illatura. Non vacat hic alia plura recensere, quæ de appellationibus Tridentini Patres, pluresque Romani Pontifices, ac præsertim Clemens VIII., Gregorius XV., Urbanus VIII., Benedictus XIII., omniumque novissimus Benedictus XIV. decrevere, ut eædem intra angustiores limites coercerentur. Eo certe loci redacta nunc res est, ut rariores sint Romanæ appellationes, multoque celerius, quam olim, sive in Sacra Romana Rota, sive in Sacris Congregationibus Cardinalium, lites expediantur. De Romanorum autem Judicum integritate, justitiaque dubitare quis nequit, nisi hæreticorum more Ecclesiam, Curiamque Romanam oderit, eamque in rebus omnibus sive jure, sive injuria carpere velit.

Cæterum falso asserit Febronius, querelas, quæ adversus appellationes

tiones proferuntur, non modum dumtaxat, sed earum substantiam impetere. Tres ipsos querelarum Auctores, quos Febronius in medium profert, consulamus. S. Bernardus loco cit. apud Febronium inquit: *Quousque non evigilat consideratio tua ad tantam appellationum confusionem, atque abusionem? Præter Jus, & fas, præter morem, & ordinem fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non causa discernitur, aut persona. Præsumuntur leviter passim, plerumque & nequiter*. Schismaticus Conradus Urspergensis loco cit. ait: *Vix remansit aliquis Episcopatus, sive dignitas Ecclesiastica, vel etiam Parochialis Ecclesia, quæ non fieret litigiosa, & Romam deduceretur ipsa causa*. Hildebertus epist. 82. ad Honorium II. loco cit. apud Febronium hæc habet: *Quaslibet appellationes in Romana vigere, & suscipi Ecclesia, cis Alpes auditum non est, nec in sacris traditum institutis. Quod si forte hujusmodi emerserit novitas, ut placeat omnem indifferenter admittere appellationem, Pontificalis Censura peribit & omnino conteretur Ecclesiasticæ robur disciplinæ*. At quis non intelligit, querelas has omnes non circa appellationum substantiam, sed circa earum modum, & abusum versari?

At quando quidem Febronius S. Bernardi auctoritatem plurimi facit, itaut de illo scribat cap. 6. §. 15. *Non cessavit Vir Sanctus, qui os Ecclesiæ sui ævi vere dici potest, hortari populos, Clerum, Episcopos, & Pontifices, quoad vixit, de malis Ecclesiæ gemens, ac dolens*; Videamus, quid hic *Vir Sanctus, & Os Ecclesiæ sui ævi*, de appellationum substantia, ac de Romani Pontificis Primatu, e quo necessario promanat Jus recipiendi appellationes, in iisdem libris de consideratione ad Eugenium Papam scripserit, aperteque docuerit. In loco itaque citato, paulo ante ea verba, quæ Febronius refert, sic habet Mellifluus Doctor: *Magno in his, & pio opus intuitu est, ne quod magna fuit necessitate provisum, male utendo reddatur inutile ..... Appellatur de toto Mundo ad te: id quidem in testimonium singulare Primatus tui*. Et post ea, quæ Febronius transcripsit, sic querelas suas S. Bernardus explicat: *Nunc vero non te existimes otiose vacare considerationi huic, qua appellationes ad legitimum, si fieri potest, revoces usum. Et si hinc mea quæratur, vel potius curetur sententia, dico, appellationes ut non contemnendas, sic nec usurpandas omnino ..... Fateor, grande, & generale Mundo bonum esse appellationes, idque tam necessarium, quam solem ipsum mortalibus .... Prorsus fovendæ, & manutenendæ sunt, sed quas extorsit necessitas, non quas calliditas adinvenit*. Quid ad hæc dicit Febronius? Num *ori Ecclesiæ* loquenti repugnare audebit? Verum cum

S. Ber-

S. Bernardus *appellari* dixerit *de toto Mundo ad Pontificem in testimonium singulare sui Primatus*; inquiramus, quid de Romani Pontificis Primatu senserit S. Doctor. Is in lib. 2. de Consider. cap. 8. sic Eugenium III. alloquitur: „ Age: indagemus adhuc diligentius, quis sis, quam geras „ personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos Magnus, Summus „ Pontifex, Princeps Apostolorum, & hæres, Princeps Episcoporum, „ Primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine „ Melchisedech, dignitate Aaron, Auctoritate Moyses, Judicatu „ Samuel, Potestate Petrus, Unctione Christus. Ubi id probas? Ex „ verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apo„ stolorum sic absolute, & indiscrete totæ commissæ sunt oves? Si, „ Petre, amas me, pasce oves meas. Quas? illius, vel istius Civita„ tis, aut Regionis, aut Regni? Oves meas, inquit. Cui non planum „ non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi „ distinguitur nihil „. Et paulo post subdit: „ Stat ergo inconcussum „ privilegium tuum tibi tam in datis clavibus, quam in ovibus commen„ datis „. Sane Primatus hic, quem Bernardus describit, non est meri ordinis, & consociationis, nudique directorii, uti contendit Febronius, sed potestatis, ac jurisdictionis. qualem Romano Pontifici Catholici Doctores contra Eusebianos, Photianos, aliosque hæreticos unanimiter adstruunt.

Febronius tandem Benedictum XIV. doctissimum, modestissimumque Pontificem, quem sibi potenter adversari intelligit, quemadmodum sæpe in sui operis decursu, ita etiam hìc carpere non desinit. Sic enim habet loco cit. cap. 5. §. 6. num. 6. *Benedictus XIV. sub initium citatæ suæ Constitutionis anni 1742. asserit, has querelas inanes esse, nec ulli innixas fundamento, utpote ex hac unica re causam, & originem habentes, quod inferioribus grave sit obedientiæ, ac subjectionis jugum erga majora Tribunalia, ipsisque nimis displiceat, sibi subditis appellationis beneficio succurri*. Huic autem objectioni quid respondet Febronius? En responsio, quam ipsissimis Febronii verbis refero, ne quis me eidem calumniam impingere arbitretur. *Sic existimatur, aut saltem asseritur Romæ, sed solidius cogitatur extra Italiam, ubi ideo hæ appellationes refugiuntur, quia repugnant Sacris Canonibus, æquitati, prudentiæ, & politiæ Christiano-Catholicæ, bono disciplinæ Ecclesiasticæ, juribus regnorum, evertunt fortunas privatorum, & procurant delinquentibus impunitatem*.

His verbis duplicem Febronius, & utramque non levem doctissimo,

ſimo, humaniſſimoque Pontifici irrogat injuriam. Primo enim ea verba Pontifici tribuit, perinde ac ſi ejuſdem ſententiam, mentemque continerent, quibus Epiſcoporum inobedientiam, tacitamque ſuperbiam redargueret. At verba illa hiſtorice dumtaxat, & non ex ſuo, ſed ex aliorum ſenſu profert doctiſſimus Pontifex. Integrum audiamus textum in laudata Conſtitutione. *Ad Militantis*, edita die 30. Martii 1742., ubi §. 1. ſic habet: „ Intimo animi noſtri mœrore, cum in minoribus
„ adhuc eſſemus, jamdiu intelleximus, pleroſque locorum Ordinarios
„ conqueri, ſenſim abuſum irrepſiſſe, quod ad malitioſam petentium
„ ſuggeſtionem, a Patriarchis, Metropolitanis, S. Sedis a latere Le-
„ gatis, & diverſis dictæ Romanæ Curiæ Judicibus inhibitiones ſine de-
„ lectu cauſæ, & rei, de qua agitur, examine paſſim conceduntur &c.
„ E contrario nobis quoque, dum etiam in minoribus eſſemus, ſupe-
„ riorum Judicum reſponſiones audire contigit aſſerentium, memo.
„ ratas querelas inanes eſſe, nec ulli innixas fundamento, utpote ex
„ hac unica re cauſam, & originem habentes, quod inferioribus grave
„ eſt obedientiæ, ac ſubjectionis jugum erga majora Tribunalia, ipſiſ-
„ que nimis diſplicet, ſibi ſubditis appellationis beneficio ſuccurri „.
Cur ergo has Judicum appellationis reſponſiones, quas iidem Epiſcoporum querelis adhibebant, & quas Benedictus, cum eſſet in minoribus, pro ratione ſui muneris Sacræ Congregationi Concilii relaturus audire jubebatur, eidem Benedicto Febronius tamquam proprias tribuit?: Num ut aliam Pontifici non minus levem inferat contumeliam, ſubdens *Sic exiſtimatur, aut ſaltem aſſeritur Romæ, ſed ſolidius cogitatur extra Italiam*? At quæſo a quo extra Italiam ita, ut Febronius aſſerit, ſolidius cogitatur? Num ab Epiſcopis? non ita: Scimus enim illos, & primatum poteſtatis, ac juriſdictionis in Romano Pontifice reverenter agnoſcere, & Romanis appellationibus plurimum deferre, & debitam Apoſtolicæ Sedi conſtanter exhibere reverentiam. Num a Febronio, pauciſque ejus aſſeclis? ita profecto: At videat Febronius, ne nimis audacter faciat, dum ſe, ſuoſque aſſeclas non modo comparat, verum etiam anteponit doctiſſimo Pontifici, & in omni ſacrorum ſtudiorum genere verſatiſſimo, qui ab omni prorſus ambitus ſuſpicione remotus, non aliam umquam in tot ſuis Conſtitutionibus, ac libris doctrinam tradidit, quam quæ cum vera Catholicæ Eccleſiæ doctrina, ac diſciplina cohæreret. Graviorem tandem eidem ſapientiſſimo Pontifici injuriam Febronius infligit, cum Romanas Appellationes, quas ille rite, juſteque

factas tuetur, ac laudat, tetris hisce coloribus describit: *Ideo hæ appellationes refugiuntur, quia repugnant Sacris Canonibus, æquitati, prudentiæ, & politiæ Christiano-Catholicæ, bono disciplinæ Ecclesiasticæ, juribus Regnorum, evertunt fortunas privatorum, & procurant delinquentibus impunitatem*: quasi vero suis Constitutionibus, ac libris evertere idem Pontifex studuerit Sacros Canones, æquitatem, prudentiam, atque Ecclesiasticam disciplinam una cum regnorum juribus, fortunisque privatorum. At hisce ipsis coloribus Romanas Athanasii, Pauli, Asclepæ, Marcelli, aliorumque Orientalium Antistitum appellationes, latumque super iis a S. Julio I. judicium hæretici Eusebiani in Philippopolitano Conciliabulo impudenter expresserunt, uti ostendimus 2. part. cap. 1. Has easdem instauravit adversus Apostolicam Sedem contumelias, ac maledicta Photius, dum, usurpata sibi per vim Constantinopolitana Sede, Orientalem Ecclesiam a Romana aperto schismate sejungere conabatur. Hanc eamdem, quotquot hactenus extiterunt, hæretici cantilenam ingeminarunt, ut appellationes ad Romanum Pontificem, a cujus pastorali vigilantia, supremoque judicio sibi plurimum metuebant, eliminarent.

Non tamen ita senserunt Sardicensis Concilii Patres, qui in Epistola Synodica ad S. Julium I. rationem reddentes eorum, quæ in Synodo adversus Eusebianos gesta, & constituta fuerant, ajunt, *optimum, & congruentissimum sibi videri, si ad Caput, idest ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibusque Provinciis Domini referant Sacerdotes*. Non ita Julius I., qui in epistola toties citata ad Orientales, sic Eusebianos redarguit: *An ignoratis, hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, & hinc, quod justum est, decernatur?* Non ita S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus, qui contra suæ Sedis usurpatorem Photium ad Nicolaum I. appellans sic inquit: „ Ignatius tyrannide oppressus .... SS. D. N., ac
„ Beatissimo Præsidi, cunctarum Sedium Patriarchæ, S. Petri Princi-
„ pis Apostolorum Successori, Œcumenico Papæ Nicolao .... Tu,
„ Sanctissime Domine, ostende in me viscera miserationum ..... In-
„ tuere Majores tuos Patriarchas Fabianum, Julium, Innocentium,
„ Leonem, & omnes denique, qui pro fide, & veritate viriliter de-
„ certarunt, illosque æmulare, & vindex pro nobis tam indigna passis
„ exurge „. Et in Epistola ad eumdem Summum Pontificem sic illum alloquitur: „ Ad artus humani corporis plagis, & vulneribus Sau-
„ cios curandos, medendi ars magnam Medicorum copiam suppeditavit.

„ tavit. In membris autem Christi Dei, ac Salvatoris omnium Capi-
„ tis, ac Sponsi Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ unum Sanctum,
„ ac solum, selectum, & Catholicissimum Medicum, tuam nempe
„ fraternam, paternamque Sanctitatem, Supremum Dei Verbum,
„ quod omnium est medela morborum, constituit, cum Petro Supre-
„ mo, Sanctissimoque Apostolorum Vertici dixit: Tu es Petrus, &
„ super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non
„ prævalebunt adversus eam; & rursum: Tibi dabo claves regni Cœ-
„ lorum, & quod ligaveris super terram, ligatum erit in cœlis, &
„ quod solveris, erit solutum. Hujuscemodi beatas voces, non soli
„ Apostolorum Principi hæreditarias transcripsit, & assignavit, sed
„ per ipsum ad omnes Romanæ Sedis Pontifices illi successuros transmi-
„ sit. Hinc retro, olimque semper, cum hæreses, & scelera pullula-
„ rent, noxias illas herbas, & zizania Apostolicæ Sedis vestræ Suc-
„ cessores extirparunt: & nunc tua Beatitudo digne constituta, acce-
„ pta a Christo potestate veritatis, hostes fudit, & Latronum more
„ in Christi ovile per fenestram ascendentem, contraque Deum adeo
„ se surrigentem, ut adversus Sacrosanctam, & inculpatam tuam po-
„ testatem Synodum refringeret.... medica manu Sacrosanctæ, &
„ Apostolicæ auctoritatis a communi Ecclesiæ corpore præcidit „.
Non ita Basilius Orientis Imperator, qui contra Photium ad Nicolaum I. scribens, ut lapsis in Schisma Photianum Episcopis Apostolica charitate succurreret, sic ait: „ O divinum, & sacrum, instar Aaronis reveren-
„ dum Caput.... De his sententiam, & judicium a Sanctitate tua fer-
„ ri, pronunciarique petivimus, & vero nunc petimus. Ita, Pater
„ Spiritualis, & divinitus honorande Summe Pontifex, accelera pro
„ Ecclesiæ nostræ correctione, & conflictu contra injustitiam, atque ad
„ veritatis satisfactionem multam nobis congeriem bonorum donare,
„ idest unitatem mundam, compagem spiritualem ab omni contentio-
„ ne, & schismate liberam, Ecclesiam in Christo unam, & ovile uni
„ obsecundans Pastori „. Non ita S.Nicolaus I., qui contra Photium scribens ad Michaelem Imperatorem in epistolis suis 2., 7., 8., & 9., de divinis prærogativis Romani Pontificis superiorem habentis dignitatem, ac potestatem supra Synodos, cæterosque Patriarchas fuse, solideque agit, & nihil mitius de S. Ignatio, & Photio definiri posse ait, quam ut Romam veniant, eorumque Causa Romæ examinetur, ac definiatur: „ Quoniam cum secundum Canones, ubi major est auctori-

„ tas, judicium inferiorum ſit deferendum, ad diſſolvendum ſcilicet, „ vel ad roborandum; patet profecto Sedis Apoſtolicæ, cujus auctoritate major non eſt, judicium a nemine fore retractandum, neque „ cuiquam de ejus licere judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellari voluerunt; ab illa autem nemo ſit „ appellare permiſſus: „ Non ita S. Bernardus „ os Eccleſiæ ævi ſui „ qui in epiſt. 198. ad Innocentium II. de Romanis appellationibus loquens, hæc ſcribit: „ Ex privilegio Sedis Apoſtolicæ conſtat, ſummam „ rerum ad veſtram potiſſimum reſpicere ſummam auctoritatem, & „ plenariam poteſtatem. Verum hoc inter cætera veſtri ſingularis Pri„ matus inſignia ſpecialius, illuſtriuſque nobilitat veſtrum, & inclytum reddit Apoſtolatum, ſi eripitis pauperem de manu fortiorum „ ejus. Nulla meo judicio in corona veſtra pretioſior gemma zelo illo „ veſtro, quo æmulari conſueviſtis oppreſſos, nec relinquitis virgam „ peccatorum ſuper ſortem juſtorum „. Non ita denique ſenſerunt tot integerrimimi, doctiſſimique ex omni natione Antiſtites, qui Romam provocarunt, tot ſanctiſſimi Romanæ Eccleſiæ Pontifices, qui Romanas appellationes invicte propugnantes, jus ſibi divinitus traditum violari a factioſis hominibus non permiſerunt, tot denique Orthodoxi Doctores, qui morum ſanctitate non minus, quam omnigena Doctrina ſpectabiles a primis Eccleſiæ ſæculis ad hæc uſque tempora, & voce, & ſcripto pro Romanis appellationibus fortiter dimicarunt.

Verum hæc pro Romanis Appellationibus adverſus Febronii criminationes nunc dixiſſe ſufficiat. Nullum enim inveniret exitum oratio mea, ſi ea omnia proferre vellem in medium, quæ vel pro iis faciunt, vel Febronium redarguunt falſitatis. Interea audiat Febronius, & meditetur, quid S. Nicolaus I. in epiſt. 4. ſcripſerit de privilegiis Romano Pontifici divinitus conceſſis, quorum non ultimum eſt jus recipiendi ex omnibus Mundi partibus appellationes. „ Eccleſiæ Romanæ privilegia „ Chriſti ore in Beato Petro firmata, in Eccleſia ipſa diſpoſita, anti„ quitus obſervata, & a ſanctis univerſalibus Synodis celebrata, atque „ a cuncta Eccleſia jugiter venerata, nullatenus poſſunt minui, nulla„ tenus infringi, nullatenus commutari. Quod Deus poſuit, humanus „ non valet amovere conatus.

F I N I S.

IN-

INDEX CAPITUM DISSERTATIONIS CANONICÆ.

PROEMIUM.

PARS I.

CAPUT UNICUM.

PARS II.

X. *Epi-*

PARS III.

